ATRIPALDÆ SOLITUDO,

SIVE

DE ADVENTU

CAROLI BORBONJ,

EJUSQUE GESTIS, ET VIRTUTIBUS

BARTHOLOMÆI DONATI

LIBRI TRES

AD THEOPHILUM MAURUM;

EIDEM

CAROLO BORBONIO

UTRIUSQUE SICILIÆ REGI, HIERUSALEM &c.

EJUSQUE MAJESTATI, AC NUMINI

INSCRIPTI.

EXCUDEBAT NEAPOLI STEPHANUS ABBAS

ÆRÆ VULGARIS ANNO MDCCXXXVIII.

Auctoritate Publica.

CAROLO BORBONIO
UTRIUSQUE SICILIÆ REGI, HIERUSALEM &c.
EJUSQUE MAJESTATI, AC NUMINI
F E L I C I T A T E M.

Bartholomæus Donatus Verebundus
verentissimo precatur animo.

S*istimus* TIBI, *Clementissime* REX, *opusculum hoc, non ut illud ab invidorum protegas injuriis, sed omni*

ex

ex titulo quòd TIBI *debeatur, cum in tuas laudes, & plausus, Heröumque tuorum totum, quantum est se effundat; & licet exiguum, gratissimum* TIBI *futurum spero, atque confido, quòd illustria tua gesta contineat, virtutisque tuæ præclara monumenta tanquam in parvula exhibeat tabula. Rectius utique actum esset, si in illo nostri Musæi loculo, quò jacebat relictum, oblivionique traditum fuisset, tum quia nobis valetudinem curantibus, spiritu fœdato, ac tenui illud exasciatum potius, quam elaboratum fuit, tum quia nihil ingenii, aut peregrinæ eloquentiæ Virtutibus, quas recenset appositum, Cuique inscribitur habet;*

atta-

attamen cum hoc unum in ſui tenuitate boni præferat, ut omne ſcilicet ab ipſo argumento pretium deſumat, ac decus, quædam innata animi vis ad aliquod noſtræ fidei ſymbolum, obteſtationemque exhibendam nos impulit, ut illud typis tradere exiſtimaverimus; non quod e prælo ſplendor aliquis, vel pondus operi acceſſurum ſit, ſed ut quadam ex parte, animi noſtri monumentum aliquod, fideique TIBI *debitæ exhiberemus. Quod cum haud meliori conſilio explendum eſſe conſtaret, quam authori ſuo ſua tradendo, perſpicuum duximus tranſacta virtutis tuæ monumenta, gloriæque facinora* TIBI *inſcribere, atque inaugurare, ut in illis tua* TE

volu-

voluptas trahat, non secus ac tener amor patrem raptat, cum se in suis spectat filiis, genialesque colligit e prolis aspectu delicias. Accipias ergo posito supercilio hoc nostri officiosi animi quodcumque donarium, & licet nullis ornatum sit coloribus, nullisque coloratum appareat ornamentis, cum tuas laudes complectatur, non quæsitis ab arte pigmentis, sed ab ipso nativo, proprioque refulget decore; hinc cum satis magnifice de tuo cultu renideat, non aliud par TIBI *est encomium quam* TU *ipse; cujus dignitatem, Majestatemque quis unquam merito extollet elogio? Cum ergo non* TIBI *ornamentum nostra hæc præconia faciant, quin potius a* TE *mutuantur, post-*

quam

quam omnia ſis emeritus, hoc etiam ut major ſis, ne mereri deſpicias, ſplendorem ſcilicet laudantibus Te *potius addere, quam ut laudari valeas, cum impar ſit tuis laudibus, quælibet laus, ultraq; omnes ividiæ ictus ita aſſurgas, ut ipſæ fabuloſæ aſſentationis illecebræ* Tui *famam, & gloriam non attingant. Magnum hinc ergo, & quidem ſingulare accedet operi prœconium quòd præclaro nomine tuo inſignitum, tuis auſpiciis erectum in conſpectum eruditorum hominum ſe præbeat. Unum reſtat ut ſi quid temeritatis habeat noſtra hæc* Tibi *inſcriptio, ſi quid audaciæ Clementia tua excuſet, Humanitaſque, quibus cum comiter, ac benigne omnia exci-*

pias

pias , defectum omnem animo in TE *nostro tribuere ne dedignaberis , ut magis Magnanimitas tua elucescat , Regius Animus , & Celsitudo . Quod dum deprecamur Deus ipse optatam Orbi de* TE *,* AMALIAQUE *tua det Sobolem ; perpetuamque conservet ; ut cum daturi sint Filii Vestri Progeniem generosiorem , vestra ex Vobis ipsis oriatur felicitas , nostraque etiam e faustitate vestra prosperitas ad votum succedat , quin etiam vota ipsa excedat , ut nihil ultra nisi a Tuis , Tuorumque auspiciis , aut sperare , aut optare valeamus .*

DE

DE ADVENTU CAROLI BORBONJ,

EJUSQUE GESTIS, ET VIRTUTIBUS

LIBER PRIMUS,

Qui de Religione, & Justitia inscribitur.

Quamquam mens mea, meusque animus, ut primùm regionibus nostris non secus ; ac splendidissimus sol Carolus Borbonius serenissimus Rex noster illuxit, totus in eo fuerit, ut virtutes ejus vere regias contemplaretur, admiraretur que nobilia gesta, quorum splendore perfusus veluti vim quamdam interius assidue sentiebat, qua ad ea publice proferenda, debitisque laudibus exornanda cogebatur; impetum tamen illum diu cohibui, tum quia tanto oneri me imparem agnoscebam, tum etiam quia forenses caussæ, privatorumque jura, ad quæ defendenda jamdudum accesseram, nihil mihi temporis reliquum faciebant, ut tantæ rei, quæ totum expostulat hominem, animum, manumque adjicerem. His accedebat quod tanta virtu-

A tum

tum ſublimitate, tantaque Majeſtate Perſonæ numquam fore crederem ut digna contingere poſſet oratio mea, præſertim cum ea in re nihil niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria liceret afferre, a qua dicendi ratione me longe alienum eſſe intelligebam; quæ quidem conatu me dejiciebant, ſuadebantque obſequioſo potius ſilentio utendum, quam indigna oratione tantum opus aggredi. At cum tuæ ad me, o Theophile amicorum optime, cujus nec benevolentiam ignorare, nec auctoritatem aſpernari, nec voluntatem negligere poſſum, exhortationes perlatæ fuerint, quibus ad aliquid de tanto Rege ſcribendum impelleres, dejectus animus reſumit vires, & quod prius timebam libenter nunc faciam, & ad ſtudia multo tempore abrupta me iterum conferam. Impellit etiam nuperrima Antonii fratris nova inſtitutio, qua majorum ſuorum genio indulgens, non horruit belli ſubire pericula, & caſtrenſes aggredi labores, ut Regis gloriæ viveret, & militaret triumphis. Confert quoq; quamplurimum hæc Atripaldæ (*a*) ſolitaria Regio, quò ut ſcis valetudinis cauſa in præſentiarum me contuli; & quamquam potiſſimum nunc ſtudiis mihi parcendum eſſet, tamen

(a). *Hirpinorum percelebre, & non ignobile Oppidum.*

men cum solitudinis languor, ac otii torpor absint potius, quam fractis prosint viribus, hic ne solus sim, & otiosus, faciam Publii Scipionis more (a), Marcique Tullii Ciceronis, qui numquam minus otiosi erant, quam cum otiosi viderentur, nec minus soli, quam cum soli: soluti enim censuetis laboribus, curisque laxati, animo vacabant, & muneribus; alter scibendo, alter secum de negotiis agendo. Ut ergo illorum exemplo ad laborem ex ipsa tranquillitate acuar, hoc erit mihi, in hac libera rerum cessatione, otiosum negotium; ingenium scilicet acuere ad ea de Rege nostro scribenda, quæ oscitantem in nobis, & dormientem sapientiam ad pristina studia revocent. His itaque sociis adscitis non tædebit solitudinis, & in regiis virtutibus meditandis otium non torpescet, quin potius languore excusso adjuvabit valetudinem, quæ quidem in hac amœna literarum palestra vires accipiet, & robur. Imitentur tamen Scipionem bellici homines, at liceat nos Ciceronem imitari, qui solitudinis tempore multos de Philosophia conscripsit libros, ita & nos in nostræ solitudinis mora, ad aliquid de Philosophia scribendum accedamus; cujus sanè scientiæ cum

A 2 va-

(a) *De offic. lib. 3. ex proœm.*

varii sint, ac uberrimi fontes, ad animos tamen sublevandos ii potissimi sunt, ac magis frugiferi; qui ad Ethicam instituuntur, & Politicen: Primi cum singulorum mores informent, nos ipsos Regis ab exemplo reformare videntur; alteri eum ad Universitatum mores, Rerumpublicarum, dominatuumque pertineant, erunt nobis tum admirationis in novo hoc Regis nostri principatu, tum sublevaminis in tanta rerum novitate: quæ duo ad hebescentem salutem sublevandam, quantum valeant, ipsa docet rerum magistra experientia. Id unum tamen displicet, amantissime Theophile, opinionem, quam de me, meoque debili habes ingenio, longe alienam esse a vero, quæ licet ex tuo in me oriatur amore, vereor tamen ne expectatione frustetur, & labor meus inanis redeat, meque temeritatis potius damnet, quam optatum finem consequatur; cum valde periculosum sit, ubi pares non suppetunt vires, grave onus subire. Vellem igitur ut digna tanto Rege, hæc mea contingat tractatio, quod ut effigiam quantum animo conniti potero, etsi valetudinis incomodis non dum emerserim, quantum labore contendere præstabo operam; neque committam, ut ex parte animi, vel laboris mei aliquid defuisse

fuisse

fuisse videatur ; ita sin minus te dignum, tantique Regis præstantia opus elaboratum extiterit, id viribus, non voluntati tribues. Ut ergo aliqua saltem ex parte hæc absolvantur, faciam pictorum more terrarum Orbem tabella quadam pigentium, Naturamque ipsam imitabor spectabilem in gemmis, in quibus Majestatem, & pompam in arcto ostentat, & strictim, paucisque nostri Regis adventum, ejusque gesta complectar, & virtutes: quod ita fieri operæ pretium duxi, ne vel rerum magnitudine ipsemet obruar, vel multiplicitate verborum debilitetur veritas. Ita etiam, & Principis modestiam postulare animadvertimus, quæ inter ceteras ejus virtutes quàm maxime eminet: & brevi præterea lectione qua libenter homines alliciuntur, compendiariaq; narratione, qua legentes tædio minime afficiuntur, ingentium factorum, triumphorumq; gloriæ veluti compendium perficere satagam: Et cum in præsentiarum infensus sit mihi magnus labor, & ingens, in nostræ fidei testimonium pauca delibasse sufficiat; quæ velint, nolintque momi his nostris scriptis quomodocumque detrahentes, si non laudem nobis, admirationem tamen conciliabunt apud posteros. Tu interea, Invictissime Rex, hoc animi obsequium

quium

quium ut cumque sit benignius excipe, & dum tua scribimus meliora perfice, in tui gloriam, nostram felicitatem, & posteritatis admirationem; sic, tibi augustior, nobis amabilior, & posteritati præclarior fies, & magnificentior.

Scripturi ergo de nostri Regis adventu non de illa universali lætitia, quæ hac in Civitate, totoq; Regno publicè, privatimq; habita est verba facimus, neque alia exultationis signa, quæ in omnem illius, nostrorumque felicitatem faustissimo omine ostensa sunt adnotanda duximus: hęc etsi magni sint momenti, tamen uti extrinseca Regi, quamquam illius virtutis clarissima sint argumenta, regiamq; deceant dignitatem, Majestatemque, nostri tamen non sunt propositi, neque instituti. Tractare enim statui de illo summo bono, quo ad veram politiam, Urbem, Regnumque adduxit, unde ortum habuit felicitas illa, qua hodie fruimur, perpetuòque constabit. Et quamquam hanc novi numismatis imago spondet, illiusque inspectione omnia absolvenda forent, cum ad omnem prosperitatis apicem extollendum in ea Sebethum nostrum Principem inauguratum videmus, ut indignatus sociorum fœdere Principatum sibi vindicet, assumatque, quod optandum supererat; tamen rem

paulo

paulo altius repetamus; Et quid ſit ſummum bonum principio inveſtigemus; quod dum in diſputationem vocamus, in perdifficilem quæſtionem nos poſtulari cognoſcimus. Alii enim in voluptatibus illud poſuere, quos rectè Ariſtoteles *(a)*, Cicero *(b)*, aliique redarguunt; bonum illud quidem pecudis eſt, & non ratione utentis, beſtiarumque non hominis: Alii in externis honoribus aſſequendis, quos cum interdum malis artibus homines aſſequi conentur, hi uti indigni aut ad optatum honorem non perveniunt, aut ab ipſa non per rectos ordinis gradus conquiſita felicitate, turpius obruuntur: Alii in divitiis, majorumq; meritis, & nobilitate; quorum primi cum avorum exemplis non reſpondeant, & in pravos degenerent mores, divitiaſque in mala deperdant, inſulſius ſummum bonum penes eos eſſe arbitrantur: præter quamquod non eſt dives, ut Seneca *(c)* tradit, qui divitiis abbundat, ſed qui pauper eſt deſideriis: alteri neſcientes illud Cleoboli, quod pro majorum meritis gloria non datur, inutiliter turgeſcunt, turpiuſque credunt aliena de virtute ſibi

(a) *De morib. ad Nicomach. lib.* 1. *cap.* 5.
(b) *De finib. lib.* 1. *& alibi.*
(c) *De morib. quæſt.* 2. 18. 119. *& alibi paſſim.*

ſibi gloriam adrogari. Recte ergo Cicero (*a*) ſummum bonum in illa recte vivendi ratione poſuit, & in Rege Divus Thomas (*b*) in recta ſui Principatus adminiſtratione conſtituit; quod ſanè principale Regum officium eſt: ex quo fit, ut ii omnem curam adhibere teneantur, ut privati homines rectè vivant, vitaque bene inſtituta publicam foveant pacem, tranquillitatemque; quod profectò non alio faciliùs modo aſſequentur, quam ſi ſe ipſos veræ virtutis exemplar præbeant, cum ea populorum indoles ſit, ut Principum mores libenter imitentur, ad eorumque mores componant proprios, atq; informent.

Cum ergo ſummum Regis bonum in recta ſui Regni adminiſtratione conſtituatur, hæc a quodam politico jure pendet, quod idem S. Thomas (*c*), & Sotus (*d*) ad quamdam juris gentium partem redigendum cenſuere, nos vero, meliùs, & commodiùs Ciceronem ſequuti, & Peripateticos ad jus naturale, etiam illud revocamus; & juſtum illud eſſe pronunciamus, quo politias, ſive hominum Cetus, & Civitates, quadam recta naturali ratione conſervamus, qua dulcius imperium regendo, ac prudentèr felices red-

dun-

(a) *De finib. lib. 5.*
(b) *Lib. 2. quæſt. 2. art. 4.*
(c) 22. *quæſt.* 95. 1.
(d) *Lib. 3. art. 3.*

duntur subditi, & beatiores. Idque, ut idem Cicero (*a*) exprimeret, jus illud est, inquit, quod nobis non opinio, sed quædam innata vis affert, ut religio, pietas, gratia, vindicatio, observantia, veritas; quo loco jus naturale, & gentium complexus est: scimus enim jus naturæ primæum procreationem esse liberorum, eorumq; educationem, aliaque, quæ vulgi continuo per ora volitant; nec ambigimus, natura ipsa, nos etiam moneri, Deum colendum esse, ex quo fonte religio, quam principaliter curare debent Principes, ut Aristoteles (*b*) tradit, ortum habuit. Et recte quidem, nam ab ea omnis pendet Regum felicitas, ut Divus Augustinus (*c*) probat, propositis Constantino, Theodosioque in exemplum, qui maximas victorias retulerunt ob veram Dei religionem; quam multo lucidiorem, et ab impietatibus quorumdam vindicatam post Regis nostri adventum perspicimus. Ab natura quoque accepimus pietatem in patriam, parentes, aliosque sanguine conjunctos; ex qua licèt omnes patriam conservare,

B auge-

(a) *De invent. lib.2.*
(b) *7. polit. cap. 8., S. Thom. de regim. princ. lib. 1. cap.7. & lib. 2. cap. 16. Trident. sess. 21. cap. 8. de reformat. & alibi. Bellarm. de laic. lib. 3. cap. 18. Gratian. & alii.*
(c) *In 5. de Civit.*

augere, beatamque facere, tenentur, præ cæteris tamen Reges, qui ubi opus fuerit pro ea animam effundere non dubitant; ad exemplum Codri (a), qui victrix, ut patria foret, famulari habitu, ne agnosceretur, irruit in hostes, & oppetiit; responsum enim Delphis acceptum erat, victrices Athenas fore, si illarum Rex ab hostibus interfectus esset: quod apud veteres summæ gloriæ fuit, ut de Menæceo Creontis filio (b), Decio (c), aliisque, qui largiti sunt patriæ sanguinem suum: Hanc curam ingentem mirati sumus, et in diem in nostro Rege miramur in Urbem hanc, ejusque Regnum, quod veluti propriam patriam divitiis auxit, populosque a potentium oppressione redemit.

Gratia quoque beneficis mutua, ut habeatur, natura ipsa suadet, brutorum exemplo; quæ enim gratia canum in dominos? Xantippi Atheniensis canis fertur, ita abeuntis domini desiderio compressus, ut à Piræeo natans illum secutus sit Salaminam, quò cum pervenerit, labore confectus, expiravit, & insulæ nomen addidit; locus enim ibi extitit, ut Ælianus

(a) *Val. Max. lib. 5. cap. 6.*
(b) *Lactant. lib. 3. Cic. Tusc. lib. 1.*
(c) *Liv. lib. 1. Flor. lib. 1. cap. 14.*

nus refert (*a*), qui hac de re canis tumulus, five fepulcrum vocabatur. Hujus gratiæ exempla, etfi in Rege non dantur, attamen quotidie liberalitatem fuam in fuos Rex nofter exercet, cum pro meritorum magnitudine beneficia ponit, & clavo veluti figit cum altioris Animi magnificentia per gratiam impartitur. Ad vim, & contumeliam propulfandam quodam naturali accendimur impetu, a quo tamen nos abftinere jubent Dei, Catholicęq; fidei præcepta, & Davidis præfertim exemplo, qui Saulis Regis injufte conceptam iracundiam fugiendo potius vitare elegit, quam, cum poffet, ulcifci. Reges verò illam vindicationis partem fequantur, qua privatorum peccata effe punienda ad fe pertinere intelligant, atque privatis illatas injurias propulfare non prætermittant; quod adamuffim ab ipfo Rege, ejufq; regnum Miniftrantibus exerceri cognofcimus.

Majores noftros reverenter colendos effe, natura etiam docet, & obfervandos, quod apud Lacedęmonios tantę comendationis fuit, ut nufquam gentium honorificentius tractari fenectus vifa fuerit, ut Cicero (*b*), refert; qui etiam de urbe,

 Ro-

(a) *De animal. lib.* 12. *cap.* 35.
(b) *De Senect.*

Roma notat in Augurum Collegio illis tantum, qui ætate præcellerent, principatum sententiæ delatum fuisse. Seniorum quippe consiliis experimur vim quandam inesse, ut non infirmæ ætatis torporem imitentur, sed quæ authoritatis plena, maturitatis fuceum ostentant ad non senio confectos, sed gravitate sua uberrimos sententiarum colligendos fructus: Hanc etiam virtutem perfectissime exercet Rex noster in plena illa, exactàque obedientia, & observantia, qua Philippi Patris imperia non recusat, & monita sequitur ad nutum. Veritas tandem, quæ in fide consistit, qua confirmamus id, quod factum est, vel futurum naturali quodam instinctu in mortalium sita est animis: & quanqàm vafri non desint homines, & perfidi, hi degeneres sunt a natura, brutales induunt partes, & justitiam lædunt: quid enim injustius, quàm fidem frangere, promissisque non satisfacere? quod cum in privato homine indignum sit, indignius in principe est, ejusque ministris; qui non modo ipsi in hoc virtutis genere, ne peccent curare debent, verum etiam privatos a tam nefario scelere prohibere tenentur: Quid fœdiùs, perniciosiusque fingi, aut esse potest, perfido homine, vel principe, ut traditur

ditur de Severo (*a*), Anibale (*b*), Dionisioque tyranno (*c*), aliisque, qui vafro, ac fallaci ingenio jurisjurandum prò nihilo habebant? Hoc virtutis Sacramentum, ac fidei, uti in omni re, ita in nostri Regis adventu majori refulget cultu in illa Castellana in Urbe constitutione edita (*d*), qua reis crimina remisit, & in illo Magdaluni in Urbe sacramento præstito (*e*), quo leges nostras approbavit, capitula, ritusque, & jusjurandum in omnibus sanctissime servat.

Ex his plene constat politicum jus ab ipsa hauriri natura, ideoque summa cura reges perpendere debent, ut, quod natura justum est, ipsi servent, & pro virili parte contendant, & apud omnes, inviolatum permaneat: nihil enim mortalium animos magis movet, atque perturbat, quam naturæ ipsius jura neglecta, atque violata conspicere. Et hoc quidem politico jure Principatus omnes reguntur, quorum species, etsi regulariter ad tria genera referantur, ad Monarchiam scilicet, Aristocratiam (*f*) & Democratiam;

(a) *Herodian. lib.* 2.
(b) *Liv. lib.* 21.
(c) *Plutarch. de fact. & virt. Alexan. lib.* 1.
(d) *Sub die* 14. *Martii* 1734.
(e) *Sub die* 9. *Aprilis ejusdem anni*.
(f) *Arist. polit. lib.* 3.

tiam; corruant tamen omnes necesse est, nisi recta ratione, quæ in politico Jure posita est, regantur: Inque adversam e regione partem imperia transeunt, & cursu temporis ad Anarchiam perveniunt; cum sine ullo ordinis momento dispositum imperium instituitur, atque administratur.

Quod sane in aristocratico principatu ab illa optimatum ambitione procedit, populariumque oppressione, ut de aristocratica Lacedæmoniorum republica traditum est, quę populares cum paveret impetus lege quadam, quæ Criptia dicebatur hoc est Secreta, Helotas servos occidi mandabat. In democratico autem turbulenta, fœdaque ingenia contendunt, ne alter altero superbiorem se faciat, qua de re Athenis in more positus fuit Ostracismus, quo illustriores cives, & majoribus præditi opibus, aut copiis relegabantur, ne ex præclaro illo quod tenebant fastigio, servile jugum plebis cervicibus ponere contenderent; quod testantur Solonis, Meltiadis, Cimonis (*a*), Themistoclis, aliorumque exilia, & quandoque ultimo etiam plectebantur supplicio, et per invidiam occidebant, ut Socrati accidit: Quæ omnia ab illa non recta

(a) *Arist.3. polit. cap.2. Cor. Nep. in vit. Cimonis cap.3.*

recta regendi ratione procedunt, jurisque politici eversione, atque morum corruptione, ut nimia Tarquinorum luxuria, & superbia, ejusdemque populi Romani præclara in Aventinum montem Secessio ob fœneratorum impotentiam probant, aliæque illius populi seditiones, intestinaque Sillæ, Marii, Pompei, (*a*) aliorumque bella, quæ rempublicam ipsam absumpsere.

Et his tamen principatuum tribus generibus Monarchia optima est, ac nobilissima, ut ipsamet docuit natura, quæ eadem regnandi genera penes animalia cum posuisset, Monarchicum penes apes statuit, nobiliores certe gruibus, quæ aristocratice, & formicis, quæ democratice vivunt; unde Seneca (*b*) natura ipsa, inquit, commenta est regem, quod antea innuverat Cicero (*c*), cum scripsit juste, legitimeque imperanti natura ipsa obedire impellimur, & in præsentiarum nos experimur sub nostro CAROLO, cujus sub imperio cum recte omnia, legitimeq; procedant, quædam innata vis, ut fatentur omnes libenter nos suo subiicit dominio, sub quo perpetuo esse speramus. Cæterum illa ratione melior

(a) *Flor. lib. 1. cap. 7. & cap. 23. & lib. 4. cap. 2. & seqq. Liv. Svet. aliique.*

(b) *De Clement. lib. 1. cap. 19.*

(c) *De offic. lib. 1. cap. 4.*

lior Monarchia, ac nobilior, quod cum ipso orbis initio ab ipso Deo sit instituta, cum Hæbræi, Isdraelitæ, primique parentes Theocratice (a) viventes hoc est ipsum Deum pro capite agnoscendo, monarchice videntur vixisse, ad cujus imaginem, cum sit constituta Monarchia, ut Divus Thomas (b), aliique Theologi tradunt, ita dominari debet Rex in suis, uti Deus in nobis, illiusque regimen imitari.

Hanc regiminis formam, hanc principatus imaginem, quam bene servet nostri Regis aula, servet & ipse REX perspicuum fit, si illam inspiciamus justitiam, qua ab ejus adventu omnia rectius reguntur, cum integri, doctique magistratus creati sint, sanctissimęque conditæ leges. Ad hanc autem justitiam explendam noctuque, diuque elaborare debent Principes in subditorum precibus justis, vel importunis audiendis, uti in diem REX noster per honestissimos a secretis viros exercet. Hac de re ò quam laboriosam principis vitam plorabat Seleucus, ut si nosceretur etiam sponte oblatum reiiceretur imperium: etenim quamvis omnes unius imperio

(a) *Claudius Flor. costum. Isdrael. p. 1. cap. 1. in fin. & cap. 19., Gravin. de orig. jur. lib. 2. num. 21. ex Josep. Hebr.*

(b) *De regim. princ. lib. 1. cap. 12.*

rio, vel plurium ſubjiciantur, imperantes vero moleſtas imperii ſubeunt curas, quibus ſæpe ſæpius, magis quam ſubditi, ipſi affliguntur. Unde Plato minus, ajebat, omnibus principatus delicias principem haurire, & plus negotii in ipſo imperii otio imperanti eſſe, quam iis, qui imperio ſubjiciuntur: ad quod munus implendum CAROLUS noſter ſingulis hebdomadis in apertum ſe præbet ad populorum preces, ſupplicesque libellos excipiendos, ut ſubditorum deſideria expleantur omnino, quod a ſeculis jamdudum optaverant.

Sed unde diſceſſit revertatur oratio noſtra, & ad partes, quæ in jure politico principaliter Regem conſtituunt accedamus, & horum prima, ac potiſſima eſt Regis ipſa prudentia, quæ ut ait Cicero *(a)*, fons virtutum omnium eſt, & in veri perſpicientia poſita; etenim quanquam varie a ſcriptoribus, philoſophiſq; de republica ſcriptum ſit, ſintque ſui principis amatores ſubditi, ſintque populi obedientes, ipſaque reſpublica undique pacifica, leges, omniaque alia abſolutiſſime impleantur, corruent omnia ſi principis prudentia non regantur. Hæc autem, quædam virtus eſt, ſive quædam recta ratio ad

C mul-

(a) *De offic. lib. 1. cap. 5.*

multitudinem dirigendam in bonum comune, & prudentia politica dicitur: quæ recta ratio, si in unumquemq; referatur ad suas proprias actiones regendas, ethica prudentia est, & nominatur. Utraque vero in suum honestum retinenda est, honestatisque limitem non excedere, cum sola honestas virtutum omnium sit unicus finis: tum una, tum altera, quantaque sit in nostro Rege ex superius dictis, aliisque scribendis late patet. Ad illas tamen consequendas principes omnes alii alio abjere; etenim ethnicorum alii rerum experientia, alii studiis, aliisq; scientiis, illam assequi curarunt, quam tamen ii perfectius didicere, qui sapientium, literatorumque hominum consuetudinem habuerunt; ut de Alexandro legimus, cujus præceptor fuit vir ille sapientissimus Aristoteles, ita etiam Alcibiades Atheniensium Dux præceptorem habuit Socratem, Epaminonda Lysim, Polemium Augustus, Trajanus Plutarchum (*a*), qui non tantum a pueritia illum edocuit, verum etiam librum de regimine imperii ei conscripsit: quod etiam docuerat jam Rex ille Hæbreorum tertius Salomon (*b*), cui cum Deus ipse optionem fecisset quæ-

(a) *Curt. lib. 1. Nep. in Alcib. & Epamin. cap. 2.*
(b) *3. Regum cap. 3.*

quærendi quid vellet; Sapientiam precatus est, sine qua prudentiam ad populos regendos non esse cognoverat.

Hæc autem politica ratio, sive prudentia sit, juxta suas species, suum variat nomen, & mutat, ut prudentia œconomica dicatur, cum ad familiam regendam se vertat, cœnobitica si regulares respiciat, politica si rem publicam gubernat. Principalior vero, ea est, quæ populis, rebusque publicis addicitur, & ad status integros regendos proponitur; ideoque propria principis est, & Regum; verum tamen est, quod actiones omnes, cæteræque virtutes ipsa quandoque indigent, ejusque ope exercentur; imò ipsamet religio, & justitia in politicis institutis, & constitutionibus suas aliquando adorationes sistunt, & leges.

Aliæ vero partes verum Regem constituentes ad duo principaliter reducuntur, quæ ex Platone tradit Cicero (a): primò subditorum ita habenda est cura, ac illorum utilitatem sic tueatur princeps, ut obliviscatur comodorum suorum; quod adimplevit Rex noster in illa generali fiscalium functionum remissione in centena millia aureorum Regno, suisq; populis nuperrime peracta.

(a) 1. *de offic. cap.* 25. *verʃ. omnino.*

cta. Secundo niti debet nedum unam partem curet, alias deseret; quod observatum videmus in illa generali rerum omnium concordia, & utriusque principatus consonantia, quam in ęternum præstabit, cum curet totum reipublicę corpus, ejusq; partes, & quoad vitæ commoda sint inter se pares; excessus enim, & commodorum defectus facile subditos perturbat, viamque ad inobedientiam sternit, ex quo mala omnia in republica emergunt (a). Hæc autem duo, uti in cujusque reipublicæ administratione, potissimum spectanda sunt, ita quoque armis substentantur, & consiliis, sed præcipue conservantur religione, & justitia, prudentia in omnibus admixta, ut temperate procedant omnia, & non corruant; ideoque Regem religiosum, & justum oportet esse, armis, & consiliis decoratum, prudentia, & temperantia. Religio, & justitia in ipso residet rege, arma, & consilia in subditorum ministerio, & ad omnes prudentia refertur, ac temperantia: temperate, ac prudenter imperium procedit a rege, temperate, ac prudenter exequantur subditi; quibus etiam in imperatis exequendis, religio, & justitia deesse non debet. O quam bene hæc nostro Regi conveniunt, ejusque

(a) *Arist. 4. polit. cap. 11.*

que principatum Miniſtrantibus; unde univerſalis illa orta eſt populorum concordia, qua ad integram felicitatem erigimur.

Etenim ipſamet Religio illum religioſiſſimum, Catholicæque fidei obſervantiſſimum tunc primum probavit, cum in ipſo urbis ingreſſu ad JANUARII aras flexus, de fauſto, felicique adventu, Deo Optimo Maximo gratias egit, atque Divo: cujus ſub auſpicio cum tantum compleverat iter, in tantæ rei teſtimonium Divi aras pretioſo ornat munere (a). Quæ tamen veræ fidei religio mirum ſequenti die apparuit, cum publice de reddendis gratiis, preces indixit in principaliori ejuſdem Divi Eccleſia: Nec primum noſtri CAROLI hoc eſt Orthadoxæ fidei monumentum, ubique locorum, quò ſuo terreſtri itinere appulit de felici adventu preces Deo privatim, reddidiſſe ſcimus.

Et in publicis ſubditorum precibus, quas Deo pro ſuo reddebant adventu, non populorum admirabatur animos, quibus Divino omine in Principe Regnum conclamant, Regemque ſalutant, quam debitas Deo gratias religioſius agi gratulabatur: quod Sueſſæ felices primum, Magdaluni, Averſa Civitas teſtantur, cum omnium primę pu-

(a) *Sub die 10. Maii 1734., quò Neapolim ingreſſus eſt.*

publicis indictis votis Deo plaudunt ; atque lætantur . Secuti sunt postmodum totius Regni cæteri populi ; in quorum precibus omnia prospere a Deo agnovit , & publice fassus est . Sciebat enim religiosissimus Princeps omnia à Deo fauste procedi , ejusque cultus obsequium, ita Deo placuisse , ut etiam Paganorum , Gentiliumque tempore faustam ducerent vitam principes religiose viventes, ac felices agerent dies: quod , & ab ineunte ætate inter Romanorum reges animadvertimus cum ad fortunæ fastigium præcæteris ductum esse , & ad imperii verticem Numam videmus, quod sanctius vixerit ,& religiosius (*a*); divinique cultus obsequium tanti apud veteres fuit, ut nec bellico frangeretur jure ;quod Peloponnesiaco bello observatum est ab Agesilao (*b*) apud Coroneam in Bœotiorum eversione , & à Marco Furio Camillo in Vejorum expugnatione , cum violari templa prohibuerint ; imo Furius Sacra cum Junonis Simulacro Romam translata in Aventino Monte, templo erecto, locavit: & Lipantini piratæ , eorumque princeps Timasitheus reverentius Lucium Valerium , Lucium Sergium , Annæum Manpe-

(a) *Liv. lib.* 1. *dec.* 1. *cap.* 7. 8. , & *Flor. lib.* 1. *cap.* 2.
(b) *Nepos in vita Agesil. cap.* 4.

lium legatos Romanos habuere, ut primum Delphos intelligunt ituros, & pro victis Vejis, deditisque Faleriis, & parta victoria crateram auream Apollini allaturos; nec tantum illos reddidere liberos; verum & Delphos prosecuti, sospites Romam illos restituere (a): quod sapiens ille Bias cum cognosceret, sciretque nil justum absque religione fieri, nilque rectum, sanxit neminem ad justitiæ administrationem admitti, nisi eximium Deorum amatorem, se priùs esse probasset; & passim infinita propemodum patent exempla penes cujusvis religionis historicos. Hinc docemur non tantum prudentia, artibusque rempublicam regi, quam vera Dei religione; ideoque Rex noster Camilli exemplo, qui de Faliscorum relata victoria, publice Diis illius memoriæ gratias egit, Immortali, ac Uni Deo publice divinis canticis gratias agendas esse putavit.

Hanc autem religionem, quam paterno, avitoque hauserat sanguine, assumpto Regis nomine, iterum probavit, cum vespertinis indictis feriis simili modo divinis gratiarum canticis se in Neapolis Regem proclamari jussit (b), ut ita

(a) *Liv. dec. 1. lib. 5. cap. 12., & seqq.*
(b) *Sub die 15. ejusdem mensis Maii, & anni 1734.*

ita felicitates omnes à Deo agnoſcerentur, eoq; magis Chriſti fideles, & principes, qui cum ſupra omnes extolluntur, ſupra omnes a Deo principatum agnoſcunt.

Hac tamen gratiarum actione, cum in proſperis quibuſcumque rebus, bellique actionibus, ac fortunis uteretur poſtmodum Rex noſter ſe religioſiſſimum refirmavit, oſtenditque omne donum optimum, atque rerum eventum de ſurſum eſſe, regemque omnium religionis obſervantiſſimum, eo oportere eſſe, ut principatum, Dei nomine retineat firmum, & fauſte æternum conſervet: quod principum, regumq; exemplis patet, quorum imperia, & dominatus periere cum primum Religionem in contemptum habuere, ut in Sacris literis de Balthaxare Babilonenſi Rege legimus, qui eadem nocte, qua in concubinarum convivio ſacrilege templi vaſa inquinavit, ab imperio ejectus eſt, & a ſuis occiſus, ejuſque regnum in Perſarum, Medorumque dominatum translatum (a); & magnus ille Pompejus cum in Hieruſalem expugnatione patiatur templa fœdari (b), poſtquam de viginti, & duobus triumphaverat regibus miſere vixit, miſer-

(a) *Daniel. cap.* 5.
(b) *Joſeph Hebr. lib.* 14. *cap.* 8.

ſerrime obiit ; cui acceſſere Marcellus, Druſus, aliique quamplurimi priſtinæ ætatis duces, ac reges, in quibus, etſi veræ religionis expertes, religionis contemptum, Deus ipſe percuſſit, ut veræ religionis principes, quam grave eſſet crimen, agnoſcerent, ac pertemiſcerent.

Placet hic tandem quoſdam alios noſtri Regis religionis actus referre, quos publice, privatimq; in populorum exemplum exercet. O quam bene noſtræ diſſertationi occurrunt? Quid enim exempli, quam religionis veram imaginem exhibet in populos hebdomadaria illa ad Carmeli VIRGINEM aditio? quamve majorem, & ingentem illa alia annalis, regaliſque ad Divam prope Cryptam acceſſio? Quas hic more majorum, paternaque firmans inſtituta, pro ſui incolumitate, Regni, populorumque felicitate ad ſacras aras non emittit preces? quibus VIRGO fave, ut felix Rex, fauſtuſq; tuo ſit ſub patrocinio, noſque felicitatem ſuis e precibus adipiſcamur. Hęc publice; at privatim, quos religionis actus non explet? Sacris quotidie intereſt, quam ſæpiſſime ſacro Penitentiæ balneo expiatur, Eucariſtica Menſa reficitur, confirmaturque, & in incruento Sacerdotis ſacrificio voluntatem ſuam Deo uniformem reddens, apertiſſimum omnibus teſti-

D mo-

monium perhibet, se vere Catholicum, & Catholici Patris perfectissimum esse imitatorem.

Ad Religionem etiam scimus pertinere Clementiam, & Pietatem; imo religionis principaliores constituunt partes, ut Divus Thomas (a) tradit, & utraq; e mitiori, docilique procedit animo: ex pietate quidem charitas exercetur, & mansuetudo; ex clementia rigorem mitigamus. Harum tamen virtutum commoda, quosdam ut plurimum attingunt cives, non universos; ideoq; in illarum exercitatione omnino danda est a rege opera, ne aliis obsit: exerceatur ergo pietas in viduarum, pupillorum, pauperum, similiumque sublevamine; clementia vero in justitiæ rigorem mitigando, reisque indulgendo, pęnamve levando, vel leniendo. Ita quidem Antoninus Imperator, cui Pii nomen adhęsit, quòd ad illius ędes pupillis, viduis, aliisque miserabilibus libera daretur accessio; janitoribus, aulicisque quovis colore accessum impedientibus pœna indicta: falso enim Apollinem tradidisse credebat, Deos non pati a divitibus, potentioribusque Imperatori obedientiam præstari, cum orphanos ipse, pauperesque reiiceret, & non curaret: Quod quidem non falsi numinis, sed Veri Dei monitum esse

(a) ut notat Lang. in Poliant. verb. Religio.

esse intelligere debent principes omnes; ut hac exercita pietate Deum placatiorem reddant, sibi, suisque subditis beneficentiorem. Idem & Adrianus Imperator antea præstitit; & Persarum Regum mos erat, ut Aristoteles tradit, ad prandium non accedere, nisi tubarum sonitu, omnes vocarentur pauperes, ut quæ superessent eis darentur. Quod in Romanis triumphis, & nuptiis statutum refert Plutarchus, quadam lege, qua de furto tenebantur fraudatores: quæ tamen gravitate quadam peragenda sunt, ne Majestatem Regis, authoritatemq; minuant, ut de Claudio Imperatore (*a*), qui ad cujusdam viduæ fletus, pietate motus, plorasse fertur, imo & indecentius ab illius oculis lacrymas abstersisse.

Hujus autem virtutis recentiora in nostro Carolo exempla videmus; & quidem tunc primum patuit cum in Regiæ Domus area ad populorum saturitatem explendam, de more destinatum abundantiæ trophæum, (*b*) ut tanti Principis latiori, ac populari pompa celebraretur adventus, in præceps est raptum. Miseratus enim ruinam mortuorum, fractorumque conjugibus stipendia dedit, ut ita munificentia

 Prin-

(a) *Trebell. Poll. in ejus vitâ.*
(b) *vulgo* La Coccagna, *in mense Maii* 1734. *sub die* 16.

Principis casus mitigaretur dolor.

Clementiam vero, quæ ex animi magnitudine procedit, in sui reos exercet princeps, cum eis pœnam omnem omnino indulget, qua Augustus Cæsar inter alios cum Lucio Cinna Pompeji Nepote (a) usus est, cui primum tanquam hosti, postmodum uti vitæ insidiatori pepercit: Philippus Macedonum Rex in obtrectatores suos, etsi rogatus, animadvertere renuit; idemque imitatus est, postea Alexander filius: Augusti autem clementia ulterius processit, cum non tantum Cinnæ pepercit, verum, & ei consulatum exhibuit; quod exemplo Julii Cæsaris adoptivi patris peregit, qui post bellum Pharsalicum suos potentiores hostes, & bene habuit, & ad reipublicæ honores, & munera admisit; Syllæ, Pompejique ejectas, fractasque a plebe statuas reposuit (b): & Titus Imperator, Romanis Nobilibus vitam suam insidiantibus pepercit, & eos honorabiliter habuit. Quorum exemplum cum imitaretur PHILIPPUS Rex Catholicus, Regis nostri quam dignissimus Pater, non tantum capitalia quondam commissa crimina remisit, verum, & illorum immemorem se declaravit; quorum vel ipsam me-

(a) *Senec. de Clemen. lib. 1.*
(b) *Dio. lib. 43. Mazoc. de Amph. Camp. cap. 1. sect. 3.*

memoriam, ut tantæ clementiæ assuesceret, Patris exequendo mandata, præmemorata constitutione Castellana in Civitate edita, Rex noster omnino delevit, atque ut omni ex parte regalis animi impleretur clementia, reos postmodum honorabiliter habuit, & sibi, suæque regiæ aulæ adesse, ac militiæ non detrectavit.

Hæc autem, quæ non minus animi magnitudinem præseferunt, quam clementiam, non ita facile sunt exercenda, neque omni tempore, ne summa principis humanitas reos plures faciat; cum promptiores ad delinquendum spe integræ remissionis, & audaciores fiant: ideoque quorundam audaciam, quæ nuperrime bacchabatur iterum, exilio tantum compescuit; cum, (o clementiam admirabilem!) severius punienda erat Italia bello undique ardente, reiq; summo cruciatu, ultimaq; pœna feriendi. Clementiæ enim proprium est justitiæ rigorem lenire, non autem prorsus abolere, ut ita propitios sibi populos servet rex, & reipublicæ bene consulat; quod Cleomenes Anasandritæ filius, & Alfonsus Aragoniæ Rex tradidere, cum inter duo extrema pietatis, & severitatis quid faciendum interrogati, clementia moderata utendum esse responderunt, qua severitatem mitigamus, pietatem non lædimus,

&

& justitiam exercemus : quorum exemplum secutus Rex noster multorum reorum sententias, de quibus ultimum sumendum erat supplicium in mitiores reformavit, & vitæ pepercit. At de iis, quæ in alterius damnum emergebant, dispar fuit sententia, sed neque per pœna; cum facile passus sit, alienæ tantum jacturæ incommodis satisfieri, ad implendam omnem justitiæ partem, quam in sui utilitatem, regiosque thesauros aliquid lucri derivaret.

Cum autem de justitia verbum incidit libenter de ea pauca dicamus. Hæc est illa virtus, qua coalescunt imperia, qua pace florescunt, & felicitantur, cum ab ea commercia dirigantur omnia, & universalis societas: Hac pœnarum terrore cohibentur ii, quos pudor, & verecundia a malo non retrahit; omnia namque reguntur, vel verecundia, vel justitia, ut juste, vel honeste fiant; nihilque justum est, quod honestum non sit, honestumque non dicimus quod justitia vacat: Hinc cæteris virtutibus eo nobilior est quo cunctis affectionibus præclarior est voluntas, ad quam rectificandam instituitur justitia; ideoque omnium virtutum elementale est fundamentum (a), quo fidem assequimur, & bene-

vo-

(a) *e Div. Thom. refert Lang. ubi sup. verb. justitia.*

volentiam; populorumque admirationem; ad quorum publicum bonum, cum principaliter instituatur justitia, & pertineat, eo iterum nobilior est, quo publicum bonum privato. Recte ergo Agesilaus, ut refert Plutarchus (a), cuidam mentionem facienti de Persarum Rege, cui ob imperii vastitatatem Magni nomen erat: quid ille me major est, inquit, nisi me justior sit; hoc dicto probans justitiam omnium virtutum maximam, eaque dumtaxat Magnos Reges fieri: Sed Agesilao rectius Arimpertus Langobardorum Rex (b), agnoscens omne regni fundamentum a justitia pendere, noctu, mutato habitu, urbem circumibat, explorabatque quod singuli dicerent, & quemadmodum jus a suis diceretur.

Quid autem sit Justitia varie a scholis definitur, nam a Theologis alio modo, alio a Jurisconsultis, & Philosophis exponitur, quamquam omnes in illud collimant ab Aristide inventum, qui justi nomen meruit, aliena scilicet non appetere: at tantæ virtutis objectum, quid sit, quove positum, quamquam ex ipso nomine erutum videmus, & Jus quippe suum cuique tradendum sonat; & docet; tamen scriptores omnes,

(a) *In ejus vita.*
(b) *Sigon. lib. 2. sub anno 712.*

omnes, vel verbum nullum de illo faciunt, vel cum Stagirita ab injustitiæ effectibus illud desumunt, contraria contrariis explicando, & obscura obscurioribus definiendo. Hinc quamlibet operationem, quæ contra legem scriptam, aut æquitatem esset, a Justitiæ finibus discedere autumabant; verbo tamen melius dicendum, contra rationem: Justum enim ab ipsa rationis luce lumen desumit, Justumque dici non potest, quod ab æquitate, & a lege dissidens, rationi non est consonum. De his tamen quæstionibus, aliisque, quæ prudentum, quam plurimum torserunt ingenia, nostrum non est quærere: libenter ea Theologis, Jurisconsultis, aliarumque scholarum doctoribus disputanda relinquimus; cognoscere tantum interest, quæ principi competunt pro justitiæ administratione, ut mereatur principatus gloriam consequi: et non tantum justum oportet esse, verum quod justas habeat leges, illarumque ministros, quod inter ejus laudes uti maximum, præclarissimumque numeratur.

Ad nostri Regis veram animi sui probandam justitiam, nihil aliud memorandum puto, quam usque nunc ejus peracta facinora, qua felicitate vix cœpta floruere, quæque adeo tempestive ad stuporem maturuere; quæ quidem suam traxe-

re

re originem ab illa vera, perfectaque animi sui justitia, qua vigent, & nitent omnia, cum a Fide indubitanter traditum sit, Justum uti palmam florescere. Qua enim felicitate ad Parmæ, Placentiæque oras appulit, ibique populos rexit, qua etiam huc ad nostras regiones devenit, hostesque devicit? Quam felix Cajetæ expugnatio, Bituntina clades, cæterarumque Regni arcium deditio, quam felicius media hyeme ad Siciliam peractum iter, & qua prosperitate Regnum illud mensibus octo in ditionem redactum; nonne hæc, aliaque prospere gesta, faustequeque confecta, & quæ nunc feliciter numeris omnibus absoluta miramur, animo justo conceduntur, & forti? Justitiam ergo, qua pollet, Regis ipsa probant facinora, quin opus sit aut pugnas sui exercitus felici contentione pugnatas, aut palmas ducum, non dispari fortuna relatas, percensere.

At omnium prima, & præclarior illa est in reos animadversio, quam in sui adventu per omnem Regni partem exercere vidimus, ac illa litium celer expeditio, summa in his omnibus admixta æquitate: Etenim æterna quodammodo erat causarum ante hac expeditio, & ingens facinorosorum undique propemodum grassabatur protervia, at nunc his ad veram consonantiam

E redactis,

redactis, veram in Rege admiramur justitiam, veram in populos felicitatem agnoscimus.

Quod & a majoribus suis acceptum in nostram detulit utilitatem. Senserat enim Ludovici XIV. Abavi sui immortalis memoriæ inclytas laudes, æternamque gloriam, quibus ad veram imaginem justitia redacta, Galliarum populis veram quietem, & felicitatem attulit: ac Augustissimi Philippi Patris justitiæ administrationem viderat, qua Hispaniæ populos felices reddit; hinc utramque Monarchiam videmus jucundius in diem ad æternam augeri prosperitatem. Quod adeo verum est, ut Roma suum detinuerit Imperium donec justa, sancta, & religiosa vixerit; Persæ, & Assirii eandem nacti sunt fortunam (a). Ideoque Alfonsus Hispaniarum Rex Secundus, cui justi nomen, sancivit, vel sua non implenda esse mandata, si quid iniusti continerent, ut suo perennis esset, & constans hilaritas imperio.

Et sane quidem expulsis legibus, justitiaque subacta, furta, stupra, adulteria, homicidia, & similia eveniant, necesse est: discordias, odia, dissidias, populorum eversiones, calamitatesque omnes cogimur deplorare.

Quæ

(a) *collig. a Flor. lib.2. cap.19., & Roll. imp. Pers. Ass.*

Quæ tandem illa depressa quorundam Optimatum superba potentia, qua populos sibi commissos undique affligebant: Regiorum Ministrorum celeres in hos vidimus expeditiones, & ad exemplum postmodum inflictas pœnas, ne in posterum concredita eis abuterentur justitia. Ita illam subditorum inæqualitatem rerum publicarum perniciem justitia temperavit, & a potentioribus opprimi debiles cum non substineret, ad rectam formam reduxit rempublicam: quod sane quò magis curabit in posterum, eò se quam dignissimum Regem, Regnoque probabit. Justum ergo Regem admiramur, & cum justitiam animi sui, relatis superius actibus, Deus ipse probasset, nil aliud nobis superest, quam tam Deo charum Regem, & dilectum venerari, atque salutem, & incolumitatem precari Principi, qui justitia sua, cui comes fidissima est juncta felicitas, non sibi tantum, sed populo, nobisque regnat.

Justus vero Rex, justis ornatur legibus; & hæ quędam regulæ sunt ad prosperitatem reipublicæ positæ, ut expellantur vitia, exerceantur virtutes, a quibus tota oritur rerum secundarum summa, quæ in vitiorum expulsione, & virtutum accessione vertitur: Sublatis enim vitiis, sublatæ dicuntur leges; ideoque fertur Spar-

tanis leges Licurgus non tradidisse scriptas, donec bonis usi sunt moribus; quæ ab ipsa gentium societate ortum traxere, ne debiles a potentioribus opprimerentur, unde poeta;

Inde datæ leges, ne fortior omnia posset: *(a)*

Quæ tamen ab Atheniensibus, & Lacedęmoniis *(b)* primum quamdam minus impolitam formam habuerunt, a Romanis postmodum, temporum cursu collapsę, restitutæ sunt, & meliorem accepe. runt usum; ac in optimam tandem methodum a Justiniano in unum coactæ, jus comune appellari meruerunt, & ob summam justitiam, & æquitatem, quæ in eis est, ab omnibus nationibus recipi, & in suarum rerum publicarum usum admitti *(c)*.

Cum ergo leges pro reipublicæ instituantur bono, ejusque commodo, cives ligant omnes, uti partes rempublicam ipsam constituentes, & jus respiciunt publicum, vel privatum. Quæ publicum respiciunt jus, juxta regionum mores, & temporum variationes mutantur; rectam tamen, & ut alii scribunt, legalem constanter servant justitiam; quæ vero privatorum attingunt jura, cum

(a) 3. *Fastor. Ovid.*
(b) *Ex. Istitnt. lib.* 1. *tit.* 1.
(c) *Arthur. Duck. de us. & auth. jur. civil. Rom. &c. late.*

cum æquitatem ſpectant, quæ natura ipſa immutabilis eſt, immutabiles fiunt. Hinc Judices, qui de privata re judicant, dycaſtes a Grçcis appellantur, hoc eſt mediatores, quoniam in jure dicundo, cum æquitatem ſectentur, ſecundum legem judicant, & legem implent. Quo fit, ut in eorum arbitrio reducantur omnia; cum æquitas, quæ epicheja a Grçcis, vel gnome dicitur, nil aliud ſonet, quam boni viri arbitrium, quo inter legem, & gratiam, ſive æquitatem jus dividit, & componit.

Qua quidem epicheja ita leges interpretamur, ut reipublicæ commodum non evertant, neque communem utilitatem; ideoque non ſcriptione, neque literis, ſed veritate interpretandę ſunt, & ratione. Huc reduces leges omnes, quę pro publico bono, et commodo feruntur quandoque contra ipſam naturalem æquitatem: ad rectam enim rationem reducendæ ſunt elapſis temporibus, quibus latæ forſan fuerunt vel ob delictorum frequentiam, vel alia de cauſſa, qua publicum bonum evertebatur; ut videmus in iis noſtris Pragmaticis ſanctionibus, quibus capitis pœna puniuntur, qui mulieres deoſculantur, vel ultra ſex aureos furantur, et ſimiles in Regni Capitulis, aliiſque libris, quæ hodie in deſuetudinem

abiere,

abiere, et mitius rei puniuntur, remissa delicti frequentia. Similis his fuit lex Julia de adulteriis in capite illo, quo mulieri de adulterio suspectæ servos manumittere prohibebatur, etiam eos, qui in agro, vel provincia essent; quod quamquam contra æquitatem, et naturalem rationem durum Ulpiano visum sit (*a*), tamen observandum tunc erat, ut ita hominum mores impii corrigerentur, et tempora. Epicheja enim a legum generali ratione quandoque recedere oportere docet, et casus in lege universaliter lata non comprehensos, comprehendere, et explicare; benignitatem illam, quæ propria legum est sequendo (*b*); cum necessitate quadam compertum sit, de omni re in perpetuum definiri non posse; nec reipublicę expedit multas habere leges, scriptasque multis vocibus, ut Plato monuit, et ex duodecim tabularum notis agnoscimus (*c*): pluralitas legum quamplurima parit delicta, & è multiplicitate verborum, multiplicantur lites: hinc Julium Cæsarem (*d*) statuisse scimus ad libel-

(a) *L. 12. D. qui, & a quib. manum.*
(b) *Julian. in l. 52. ad leg. Aquil. Arist. 5. eth. in cap. 10.*
(c) *Sceu. in l. 14. de divers. temp. præscrip. Gravin. in lib. 1. de orig. & prog. jur.*
(d) *Svet. in ejus vit. cap. 44.*

libellum jus civile redegi, ut jurgia resecarentur, quæ a tantarum legum, & verborum multiplicitate oriebantur. Sed redeamus ad propositum, & quibus legibus mandavit utendum Rex noster videamus, & quos homines exercitationi illarum, sivè epicheja præposuit.

Et sicut Carolus Magnus (a) suis consuetudinibus, juribusque victum Saxonem vivere jussit; ita quoque CAROLUS noster Majorum suorum institutione, tantique suę Gentis pręclari Progenitoris exemplo, nostris juratis legibus, ut iis viveremus effecit; illarumque justitiam, & æquitatem, cum temporis cursu cognosceret, non tantum observatione firmavit, verum & illas auxit; ut in celebri illa costitutione, qua Tribunalia reformavit (b), & nuperrima elapsi mensis sanctione (c), qua eisdem ad rectam methodum, veramque imaginem redactis, litium expeditioni providit, & illarum resecavit in Urbe multiplicitatem, qua æternæ propemodum fiebant, remissis ad Provincias omnimodo tenuioribus; ejusdemque generis, quæ in Urbem oriebantur, quampluri-

mis.

(a) *Arth. Duck cit. loc. lib. 2. cap. 2. num.* 12.
(b) *Sub die* 8. *Junii* 1735.
(c) 18. *Martii* 1738.

inis resecatis : & constituto antiquo scribarum, notariorumque numero, ac negotiorum repartita caterva, multa reparavit incommoda. Quid memoramus illam regalium reddituum, ac vectigalium indebitam exactionem, quæ colore justitiæ per regias vias, extorquebatur a grassantium protervia satellitum : quid illam usurariæ pravitatis fœnerantium rursus excrescentem nequitiam, quæ tamen omnia, antiquis renovatis sanctionibus, & pœnis addictis prorsus sublata miramur, & gestientibus lætitia animis a nostri Regis munificentia excipimus. Quod exequutum etiam videmus quoad salis regales redditus, cum de sale vendendo excitatis pragmaticis multas depressit fraudantium malitias : Duæ verò regalem animum, ejusque virtutes plenius commendant, & magnificentiam; prima, qua legalis scientiæ exteris professoribus tempus ad illam in hac Urbe assequendam temperavit, expensarumque incommoda quamplura levavit; altera, qua adolescentium continentię, Urbisque honestati prospiciens, meretrices ab illa delevit, & lenones, mores, virtutesque lasciviis suis funestantes undique, atque lascivientes. His accessit illa regalis providentia, qua expulsum Venetorum numisma

ma aureum, ab omnibusque rejectum ad justam methodum reddidit, & expendi, recepique jussit; Et reorum plena indulgentia, qua plures familias ad pacem restituit. Nec minoris ponderis, & curæ sunt annales, temporaneæque aliæ provisiones, quas sub silentio involuimus, ne a nostro abberremus proposito, & ad observantiam legum, quibusque illa demandata fuerit, accedamus parumper.

In his sane vera residet justitiæ administratio: etenim facilius leges conduntur, at difficilius observantur, & leges, quæ mortuæ dicuntur, & ita revera sunt, oportet ut observantia, et executione reviviscant; ideòque sapiens ille Phœtonius a Thebanis ad Lacedæmonios missus, ut leges eorum haberet, postquam per annum et ultra penes illos esset, Thebas reversus in urbis platea, undique affluente populo, crucem erexit, gladios, flagella, similiaque pro reorum pœnis in usu habita instrumenta adduci jussit; cumque mirarentur undique concives sui, et quererentur, non pro instrumentis, sed pro legibus advehendis missum esse; respondit, non vobis leges attuli, sed instrumenta, quibus illa servantur; hac enim cruce Lacedæmonii fures plectunt, hoc gladio homicidas,

 his

his flagris cæteros coercent reos, ut leges, quas eorum mortui condidere prædecessores, ipsi vivi servarent; Lacedæmoniosque sapientes haberi, ac doctos pro legum observantia, illarumque vero exercitio, non pro earum compilatione. Ita sapiens docuit non opus reipublicæ, principique legibus, sed illarum recta observantia, et pluris esse, ac gloriosius legem unam observatam, quam scriptas mille, sed inutiles habere. Quod præclarum Thrasybuli (a) fuit, qui pace cum tyrannis reconciliata legem oblivionis tulit anteactarum rerum, utque valeret effecit.

Hæc autem legum observantia quamquam superius allatis exemplis, quàm maxime pateat in nostro Carolo, tamen cum non per principem in subditos, etsi principaliter in eo resideat, sed per alios exerceatur, quod justitiam demandare dicimus, videndum est quibus, & quomodo demandata fuerit; quod breviter more nostro explebimus, ut percepta ministrantium integritate, eorumque morum probitate, & doctrina, Principem admiremur justum, & futuram justitiæ administrationem rectam esse cognoscamus; a qua cum civica pendeat pax, rei-

(a) *Nep. in ejus vit. cap. 3.*

reipublicæque tranquillitas, ita ipsa a ministrantium prudentia prorsus pendet, & vigilantia Principis (*a*).

Hæc vero maxime nostro CAROLO cordi fuit, illaque inter belli sollicitudines, & curas quam maxime apparuit: Vix enim Aversæ insederat, (*b*) & constituto Comite de Chiarnio ad Urbis gubernaculum (*c*), de justitiæ administratione, prima insedit menti cogitatio: hinc capiti criminalis aulæ Andreasio merum, mixtumque mandatur imperium, animadvertere scilicet in facinorosos, suum cuique tribuere; quod fortunatissimus præceteris accepit postea ejusdem aulæ Florius Judex; & confirmata Civitatis annona, quam jam mandaverat Brunasio, provido abundantiæ patrono, de Tribunalium reformatione consilium tenet: Acceperat enim causas æternas fieri litigantium pertinacia, vel defensorum malitia, vel judicantium socordia; aque clamores senserat legulejorum, notariorum, scribarum, aliorumque, qui majorem tantæ Civitatis formant partem, & a Tribunalium negotiatione substentantur, & in

(a) *Arist. 7. polit. cap. 7.*
(b) *Sub die* 10. *Aprilis* 1733.
(c) *Sub die* 14. *ejusdem mensis, & anni.*

in diem aluntur : Consilio ergo habito cum Tribunalium reformatio matura indigeret cognitione, in aliud tempus protrahitur, mandatum est interim ut continuerentur ; & novo Principe novus incipitur ordo, a jusdicentibus amœniori, & novo excipimur modo, causæ expediuntur, dilationes resecantur.

His in ita peragendis non defuit, quin hostes premeret, quibus tandem a Neapoli, & Sicilia dejectis, in luculentam consonantiam nova constitutione Tribunalia erexit. Et primum avocato sibi imperio, quod Consilii Colateralis voto admixto proreges exercebant, Consilium Colaterale subprimit, in cujus locum, novo nomine, Camera interior Sanctæ Claræ erigitur, cui eadem potestas, ac olim Colaterali fuit. Caput hujus Aulæ clarissimus vir ille senatorius, Adrianus Lauriæ Dux Ulloa, Sacri Consilii Præses jam senectute gravis, & rerum experientia doctus ; præposita ejusdem Aulæ jam fuerat lepida Castelli bonitas, at immatura mors locum dedit Horatio, cujus corporis, mentisque præstantia, dicendi, consultandique majestas sapientiæ veram ostendunt imaginem ; accedit Magiocchæ amœnitas, cujus mores o quàm amabiles, quorum dulcedine sapien-

pientiam miſcet, & æquitatem; quæ Venturæ bonitas, quæ virtus, qua Cajetani Argenti immortalis memoriæ, dignum ſe probat eſſe Nepotem? & Caſtelli locum implet Honuphrii (a) probitas, qua inter cæteros præfulget illuſtrior: par una omnium doctrina, ac eadem virtus, et inter advocatos, ſive diſputandi ſubtilitate, ſive dicendi methodo, olim vel ſcriptis, vel facundia primi.

Quæ cæterorum Tribunalium nova inſtitutio, ac in elegantiorem conſonantiam erectio. Conſtitutis, quos ſuperius Cameræ interioris elegerat Conſiliarios, pro S. C. aularum Capitibus, Conſiliariorum numerum auget, ne juſdicentium deficientia, cauſarum retardaretur expeditio, ac penſatis omnium ſapientia, moribus, animorumque inſtitutis, ac virtutibus, ſummo Juri ſummam miſcuit æquitatem. Tantæ deliberationis veritas experientia patet. Nam, quæ illa aularum moderatio, quæ ex omnium commixione conflavit? Qui juriſconſulti? qui Sapientes? Quæ enim Danzæ virtus, quæ dicendi ſplendida oratio acerrima, ac ſolida, quæ morum, quæ ingenii nobilitas a ſuis deducta

(a) *Dominicus Caſtelli, Franciſcus de Honuphrio; cæterorum nomina, ac tituli patent ex ſequenti noſtræ poeſeos lib.4.*

ducta majoribus, qui meruit deinde locum defuncti Honufrii subire & inter Regalis Cameræ Consiliarios accenseri. Hunc Vargas, Citusque senatorii sectantur viri, & æquitatis amator Invicti. Quæ secundæ Aulæ dignitas! quam Porcinarii facundia, Bruni eloquentia, Guerrasii virtus illustrant quamplurimum, & senatorii Gajetæ ordo, doctrina, & nobilitas: quibus Fraggiannium adde Panormi jura Regis nostri dignius regentem. Quæ cæterarum Aularum jurisprudentiæ, scientiarumque omnium summa notitia, qua præceteris fulgent Vitalis, Ippolitus, cujus summa sapientia, ac varia eruditio, morumque præclaritas in ejusdem S. C. Præsidem, & Caput nuper adscribi meruit; nec Castagnolæ, Capozzutique morum amœnitas, & dicendi dulcedo prætereunda est; nec Arenæ humanitas: adjungitur his Zapattæ, & Nicolii bonitas, Lazariique probitas, inter quos splendent Crivelli summa doctrina, & sapientia, cujus pro justitia zelus non minus præclarior, quam olim dicendi venustas. Præclariores tandem illi longo ordine scriptorum senatorii viri, Caravita, & Rosa, quorum animi o quam candidi. Qui tandem in aliorum locum vel defunctorum,

vel

vel alia de causa munere perfunctorum, suffecti ad id munus, & hic adscripti; quos inter præmemoratus Rosa, & Scassa, quorum alter Cosentiæ, alter in Cathacii præsidem eligitur, & ad integras Regni provincias regendas ambo decernuntur. Hic Trojanus de Philippis jam clarus criminalis aulæ Fisci Patronus, qui postmodum virtute sua ad Regiæ Cameræ Tribunal, ut Foveam regeret est eductus. Hic Boscus, & Salazar virtute, & morum suavitate clari: Hic Franciscus Dux Perrellus, Donatus Antonius de Hastis præclari quondam M. Curiæ judices, & memoratus Florius adscribuntur nuperrime. At uti par omnium virtus, & jamdudum per priores advocationis gradus, & magistratus elapsa, ita par animi integritas, ac eadem pro justitia voluntas.

Uno eodemque actu Regiæ Cameræ Tribunal reformatur, & in Aulæ Caput destinatur Ludovicus Paternus vir omnigena virtute præditus olim inter causarum patronos primus, postea vero per ministerii gradus emersus doctrina, senectute, & experientia gravis; huic adjunguntur Buglius e Siciliæ subselliis hic advectus, Odoardus, & Carofalus Magnæ Curiæ Vicariæ Judices quondam, senatoria nobilitate clari: at

præ-

præceteris Caravita, & Maurus, quorum alter ſenatorio ortu, & facundiæ dulcedine inter cauſarum patronos more ſuorum jam primus illuxit, alter formæ venuſtate, & morum, Regiſque benevolentia, ejuſque Magnatum præclarior; & tandem ad ſua jura tuenda inſignis vir ille præponitur Mathæus de Ferrante Regius Conſiliarius; & his poſtmodum addicitur Carolus Ruoti invido fato elapſus, & ſua integritate probata. Sequuntur brevioris Togæ Præſides Coppula, Mareſca, Veſpoli, Marſchant & Fiſcales Sarnus, Orlandus, quibus una eademque fortuna, morum probitas, & intelligentia rerum.

Acceſſit his tandem Magnæ Curiæ moderatio, & Marcellus Carrafa, quo natu nobilior, eo mente, ingenioque illuſtrior in illius Regimen confirmatur, cujus locum in præſenti excipit Termularum perinclytus Dux, præclariſſimus moribus, ac virtutibus, quas e facie, vultuque noſces; cum impar ſit ad ejus laudes literis, poſteritatique conſignandas cujuſvis orationis encomium. Et pro Criminalis Aulæ Capitibus, Andreaſium addixit, & Cirillum Conſiliarios, nam primi integritatem probaverat addicto ei mero, mixtoque imperio ut ſupra

tra-

tradidimus, & alterius probitatem Panormi libenter audiverat. Inde explosis, qui vel ætate juvenes, vel superflui, & ad Regiarum Audientiarum judicatus demissis, pro ejusdem Magnæ Curiæ utraque Aula, vel Civili, vel Criminali regenda constituit San-Blasium, Bisantum, Mirandam, & pervigilem Joseph Romanum, in præsentia fisci patronum meritissimum, aliosque, qui vel Regias Audientias, Civitatesque rexerant gloriosius; & in clarum pauperum advocatum Michael de Bonis eligitur, vir quantum virtute præditus, tantum factis, & nomine bonus. Nec ii prætereundi sunt, ad tantum muneris in aliorum locum postmodum adlecti, adscitique: Hic ergo referenda est Ulloæ summa doctrina, & eloquentia, Verdutiique facundia; qui olim inter primarios rerum criminalium patronos laudum encomium retulere: Hic percelebris illa nostri Januarii morum suavitas, ingeniique virtus, qua inter cæteros clarissimos in foro patronos, clarior illuxit, & qua sua Jurisconsultorum Respublica nuper Lipsiæ iterum e prælo edita, ab illius Eruditorum præclaro Collegio in publicis relata est actis, & debitis ornata laudibus in universum terrarum orbem pervulgari meruit,

ruit, admirarique; quod etiam & Adstardam in præsentiarum expleri intelligimus: novo etenim scriptionis genere, mirifico contextu, de unoquoque Jurisconsulto sententiam suam aperit, & qualis, quantusque sit, edicit; quod dum in disputationem revocat, se omium jurisconsultissimum esse exhibet. Quid Carsoræ, alteriusque Romani probitas, quorum prima Aletio præponitur, altera Tranii provinciam regendam decernitur. Quid Vineæplanæ, Picardi, Galiani, Brunasiique comitas: quid Ambrosii de Rubeis, Cimini, Buliphonii, & hos inter etiam Vulturalis præclara bonitas, virtutesque. Qui omnes, etsi in biennio instituantur, tamen doctrina, legum peritia, ministerio, exercitio, & experientia fiunt perpetui; cum Reipublicæ molestum sit & dissonum, negotiorumque expeditioni quam maxime perniciosum, ministros amovere, qui optime ministerium implent (a). Prætereamus libenter ad Regias Audientias, Civitatesque decretos Judices ne longa serie rerum; nominumque continuatione, pro satietate fastidium afferat tractatio nostra.

Hi sunt Magistratus, hi Homines ad jus pronunciandum propositi, ad vivam legum vocem exer-

(a) *Arist. 2. polit. cap. 1. Bas. in reg. brev. quæst. 156.*

exercendam : Viva vox enim juris sunt Magistratus , vivaque actio, ut recte tradit Cicero apud quos nulla unquam prævalere debet amicorum , conjunctorumque affectio , ne ad turpia , & non recta decernenda inducantur contra bonam fidem , & honestatem (a) . Inter quos etiam tu honestissime Theophile adscriberis, cum Regalis FARNESIÆ Domus integros status , omnimoda potestate ministres ; quod pro tua laude sufficiat, cum si alia addamus præclaris moribus tuis , & modestiæ officimus , nostroque affectata amore creduntur.

At qua magnanimitate hæc peraguntur ? qua providentia ? relictis pro medietate stipendiis , iis qui amoventur ; quod & ipsimet adeo sunt mirati, ut publice, privatimque verbis amplissimis extollere , & celebrare non respuerint tanti Regis munificentiam ; qua probavit illos non ab officio deposuisse , quod partes pro dignitate non suscepissent , sed quod ea tunc Principi consilia pro temporis ratione sequenda forent : atque ut omnibus pateret , Togæ usu relicto, effecit , ut merita magis elucescerent ; & onere rejecto , cum ipse honos permaneat , ab ipsa nominis umbra integrum demissi

 mu-

(a) 3. *de leg.*, *et de offic. lib.* 3. *cap.* 5.

muneris lucrum quodamodo est revocatum.

His ita complexis summam nostri Regis, justitiam nonne admiraberis? pro cujus administratione, quos integros elegerit homines, & Sapientes, & qua benignitate pensaverit, jam vidimus; in quorum electione veram principis imaginein agnoscimus; cui ad sui principatus felicitatem augendam, atque ad gloriæ fastigium assequendum, id unum superest, ut potestas, & optio fiat inter bonos, meliores eligendi ad ministeria exercenda. Quod cum jam felici omine peractum sit, hoc tantùm remanet, ut resecatis quibusdam dilationibus, quæ in judiciorum expeditione irrupere; & nostris pragmaticis sanctionibus in novam methodum, & in luculentam consonantiam redactis, explosis quæ in desuetudinem abiere, vel inutiliter replicantur, novus edatur, comuni omnium plausu, & studio, BORBONIANUS Codex; quo novam formam justitiæ administratio recipiat, causarumque expeditio, quod ultima memorata constitutione quadam ex parte factitatum visitur; ut ita pacato Regno, pacata jurgia quodamodo videantur, & quæ statuerat Pater (a), perficiat Filius.

DE

(a) *ut refert Const. sup. prag.*

DE ADVENTU CAROLI BORBONJ,

EJUSQUE GESTIS, ET VIRTUTIBUS

LIBER SECUNDUS,

In quo de Armis agitur, & Consiliis.

QUemadmodum Religione, & Justitia regantur imperia vidimus suavissime Theophile, & quæ virtutis utriusque exempla dederit Rex noster satis, superque superiori libro explanatum esse arbitror, sequitur ut videamus, quibus Armis hæc omnia peragit, quibus Consiliis, ut juris politici alteram adimpleamus partem, & Regem admiremur fortem, & sapientem; sed antequam ad hæc pertractanda accedamus, paucis te morari volo: Scripsimus hæc te hortante maxime, ad eaque impulerunt, & fratris institutio, & Atripaldæ hæc solitaria Regio; sed utinam & factitatum non esset. Etenim sunt tam emuncti nasi hodie homines, & res eo ducta est, ut nullum scribendi argumentum de novo supersit: Philoso-

phiæ

phiæ fontes, ita à Gassendo, Chartesio, aliisque exhausti sunt, ut ne supremis quidem labris valeant attingi; Criticam quo non extulere transacti seculi scriptores, sive citra, sive ultra montes ingenium, & stylum exercuerint: Jurisprudentia interpretum varietate ad confusionem potius devenit, quam ad rei veritatem, & dilucidationem: Poesis, Oratoria, miscellaneaque Eruditio, vel puerilia, vel inutilia reputantur: quoad Historiam nostri non est ingenii, neque instituti, ad aulicos illam relinquimus, quibus rerum nótitia facilis; & quamvis de ea aliquid in his nostris scriptis habeatur, illa tamen prodimus, quæ notescunt omnibus. Scis meam consuetudinem, pristinamque institutionem, quo pacem, quietemque domesticam tantum curavi: sed postquam Tribunal me culpa ne, an pœna, forique contentiones tenuere, illa qua fruebamur quies, privataque vita excidit, & tempus inutiliter terere, & valetudinem in tot rerum volumina consumere sum coactus. Et quoties o! vitam ducere privatam, beatamque exoptavi, procul negotiis, & curis, & modico contentus ære, alienisque non inhiando substantiis, etsi nomine obscurus, non inglorius tranquil-

litati

litati invidebam illorum, qui dies agebant omni perturbatione carentes, sub vite sua, & ficu sua; quin sollecitudines assequendi divitias, animum, & studia in contraria raperent. O quam bene agunt ii, quibus res, nec magna, nec angusta in domo est, procul se tenent a negotiis, & curas arcent, irridentque illorum cogitationes, quibus tanquam æterni in Mundo futuri essent, in divitiis assequendis sola cura est, & animus. Hunc modum servabo, hanc methodum habebo, cum mea me valetudo ad pristinas restituet vires, & si quid agam, otii diluendi causa agendum esse sentio ne in turpedinem incidamus, quam aufugiendam esse jam scripsimus, uti valetudini dissonam. Curandum est bene valere, & Deo vivere, & nobis ipsis, cætera inutilia sunt, & deridênt posteri, quibus ut plurimum eorum sunt perditionis, cum nimia felicitas malorum omnium causa sit (*a*): relinquendum illis ut agant, & otium effugiant, vitiorum omnium fontem maximum; propptereaque nescio an suorum posterorum bonum agant, qui ita se torquent, ut illos in summas ponant delicias, & commoda. O quam bene hic Phocionis, (*b*) Atheniensis sententia appingi potest,

(a) *Flor. lib.4.cap.5.* | (b) *Nep.in ej.vit.cap.1.*

test, qui cum in summa paupertate viveret, & a legatis Philippi hortaretur allata munera accipere, quæ repudiaverat, & non sibi, sed futuræ gloriæ filiorum prospiceret; respondit; nolle suis expensis eorum luxuriam ali, & augeri, et si ei similes essent, eundem agellum, qui ad dignitatem illum perduxerat, satis esse ad filios alendos. Ut igitur ad propositi argumenti caput revertamur, cum scientiæ omnes undique impletæ sint, ut nihil scribendum supersit, & homines eo perpolitioris eruditionis devenerint, ut antiquitatis scriptores superasse videantur; abstinendum nobis omnino erat, & provincia hæc majori ingenio, & digniori relinquenda; sed quoniam unicuique aliquid de se relinquere utile est, ne omnis nostri moriatur memoria, & juvat aliquid audere, non ut æternitatem nobis paremus, vel inglorii videamur, sed ut posteri nos vixisse sciant; hæc scribenda duximus; ut, quæ ingenio negantur, materia ipsa suppleat. Utcumque tamen sit, non immortalitatem ex his expectamus, sed nostro indulgemus genio, quo nil suavius, nil dulcius, & Carolo nostro principaliter nostræ fidei testimonium exhibemus; sed jam ad instituta pergamus.

Su-

Supereſt ergo, ut videamus quibus armis hæc omnia peracta ſunt, quibus conſiliis; quæ quidem potiora ſunt, quam leges, & juriſconſulti, ac principaliores conſtituunt partes ad rempublicam tuendam: quæ ſicuti juriſconſultis regitur, ac legibus, ita quoque armis defenditur, & conſiliis, ut Scriptores omnes, jugiterque experientia tradunt; ideoque principaliter oportet Regem decoratum eſſe Ducibus optimis, ſtrenuiſque Militibus, quorum virtute, ac fortitudine hoſtem propulſet, & pacem ſervet. In his quidem mirum in modum excelluit Grçcia, & Roma; quorum imperatorum, ducumque virtus, militumque ſtrenuitas, quæ fortitudinis in reipublicæ libertatem, quæve ad pacem conſervandam dederint exempla ſeculorum omnium memoriæ tradit hiſtoria. Thermopylæ præ cæteris probant Leonidæ virtutem, tercentumque Spartarum, & Vejentes Fabiorum, pro reipublicæ, patriæque pace, ac libertate; alteri contra Xerſem, alteri in Vejos pugnaverunt, & mortem opetiere glorioſius *(a)*. Strenui quoque fuere Annibalis milites, in Alpium itinere, nivibus undique increſcentibus; at omnium ſtrenuiſſimi decem mille Milites illi, qui ſub Xenophonte,

H

(a) *Herod. lib. 7. Flor. lib. 1. c. 12.*

te, aliisque Persarum montes in menses transiere, & felicius in Græciam se contulerunt, quin locorum asperitate tererentur, quamvis hostium pene incredibili numero essent præcincti. Quod Antonio, cum eo loci pervenisset a Parthis insecuto, tantæ admirationi fuit, ut clamare non destiterit: O Græcorum Militum incredibilem virtutem, ac robur! ò felicem decem millium regressum (a)!

Hanc strenuitatem, hoc robur in nostri Regis admiramur Militibus, cum perpendes illud multorum mensium longum iter ab Hispania Neapolim peractum, media hyeme, per nives, vada, asperrimos montes, quod adeo milites percussit, atque fœdavit, ut dubitaretur hostes à Regno ab iis dejici posse: admiraberis tamen eorum pene incredibilem strenuitatem ab illa alacritate, qua vix Urbem hanc ingressi expugnationem arcium cœperunt, & brevi mensium cursu, Apuliam, Cajetam, totumque Regnum, Siciliamque per triumphum duxere.

Hos dedit Hispania milites, at nunc meliores dabit Italia, quæ sopitos quodammodo movet lacertos, & deperditas excitat vires; quod & tanto Principi debemus, qui quondam bellatores ho-

(a) *Roll. imp. Grec. tom. 4. lib. 9. cap. 2. §. 7.*

homines non fubftinet in otii, deliciarumque languore torpefcere amplius. Nec immerito, cum permixto Hifpano Milite bellicas Italia refumens artes, quondam fanguine fuo, & cæde imbutos agros in priftinas palmas germinare, in novas florefcere videbit coronas, & ubique ad gloriam uberrimis exultabit tropheis, & victoriæ monumentis: Quin & claris ornata pompis, ac bellicis laudibus ditata, heroicis temporibus non invidebit ftrenuos, infignefque viros, qui militarium laborum contemptores, nec hoftium impetum, nec mortis ipfius vim truculentam pertemifcent. Et ut de Regionibus in præfentiarum a noftro Rege fubactis, & bello domitis verba faciamus, quantam fibi fecerunt fortunæ, majeftatis, & gloriæ acceffionem ab iis patet, quæ olim, ut vincerentur, magnum fortiffimis ducibus, & invictis militibus fecefferunt negotium; nunc autem ultro fubmifere fafces, hilarique animo noftri Regis imperio fefe addidere. Perftrepunt adhuc Samnii de imperio dimicantis victoriæ, quas gloriofius de Romano milite retulit; cum Gaudinæ furcæ, inflictæque cladis infignia, Cajo Pontio ab Abella imperante (*a*), ad reportatæ victoriæ memoriam, tantorum montium a-

H 2 fpe-

(a) *nunc ex ejus ruinis Atripalda, & Abellinum: de Franc. Avell. illuft. in Brev. Not. fol. 2.*

ſperitati, lapidibusque inſculpta, perpetuo vel de ipſa oblivione triumphabunt. Tarentini, Brutii, Lucani, Appuli, atque Apri, ſuas quoque lauros ejuſdem militis cruore non raro aluerunt.

Quid Siracuſiæ Græcorum tempore ſub utroque Dioniſio, ſub Gelone (a) aliiſque non valuere? quid Drepanenſes? quid Siculi tandem, qui, hoſtium ad internecionem uſque delatorum funere, non tenue pompæ incrementum ſibi fecerunt, & gloriæ.

Quæ omnia cum non ignoraret Sapientiſſimus Rex, ut primum in Regnum venit, Neapolitanam inſtituit Militiam, primæque peditum legioni, ut bonam auſpicaretur fortunam, feliciorefque ſuas ſortirentur actiones, de nomine ſuo, nomen impoſuit; unde Borbonia dicta; cujus fauſtis auguriis revera meliores reſponderunt eventus; cum vix inſtituta Siracuſias admota eſt ad arces, & in prima contra Germanos potentes hoſtes, veteranoſque milites velitatione, adeo felici actione dimicarit, ut ad arcem reddendam in dies illos coegerit. Eodemque tempore ad priſtinam formam de noſtratibus redacta eſt Sancti Boni præclara equitum legio, quæ tum pedeſtri pugna in hoſtes, tum equeſtri, atque ad irrum-

(a) *Roll. ubi ſupra cit. loc.*

irrumpendum feroci impetu in turmas, & castra plurimum valet; quæque ab Hispania venerat adeo excisa, atque direpta, ut præter nomen, vix tenue veteris dignitatis vestigium remanserat, vix roboris antiqui levissima imago reluceret. Secuta est postmodum Marchesia peditum alia, prosperiore fato modo Neapolitana dicta, quam Aprutii implerunt terribiles homines, & facie, & moribus, ut, cum ab Apro nomen sumpserint, facta conveniant. Eodemque actu alia Torellæ equitum ab Hirpinis instituitur, quorum nomen ab Hirpo, hoc est Lupo desumitur; bellatores e Samnio populi, nunc ad pristinam virtutem revocant animos, & ad explorandа, capessendaque protinus aptiora loca, ad tentanda fluminum vada, aliaque peragenda apprime sunt appositi. Et tandem Exterorum majori ex parte nostratum, impleta est ultima peditum legio, quæ in præsenti lætiori nomine Italica appellatur; illaque e nostratibus, & exteris conflata, quo primi bellando promptiores, alterique imperterriti, ac strenui, eo legio fortis est, & præclarior; cui, Macedonia legione sublata, Antonius frater in Centurionem regali ordine adscribitur.

Nec prætereundæ sunt legiones aliæ peditum,

quas

quas omnes in Regno Siciliæ jussit institui. Farnesia e Matris nomine prima decorata est, & inaugurata feliciter; Sicula altera, quam jamdudum ex eisdem populis compleverat Pater, nunc felici Reginæ nomine, omnium feliciori omine exultat; & ex Panormi inclyta Civitate, & Metropoli, nuncupata est tertia, quæ ad invadendum fortiter in stataria pugna non ultimas implet partes: denique aliæ omnes, ad primas excursiones peragendas, ad depopulandos agros, hostesque expellendos, insequendosque non negligendæ sunt virtutis.

At quos perspicacissimus Rex memoratis legionibus præposuit Duces? Columbrani Princeps, cujus præclara virtus, quam nuper Rex suę Borboniæ legioni præfecerat, & jamdiu Siculo in bello refulserat, ut primum adversus hostem illuxit ad Italicas Excubias, legionemque gradum fecit. Quæ Principis magnanimitas? quæ morum nobilitas? Palladi Calliopem miscet, & Martis strepitu musam excitat. Borboniæ vero legioni statim regali ordine præpositus est, Caraczulorum Domus Marani Princeps, cujus familiæ splendor, capitisque honestas, ò quam late patent; eique, ob immaturum obitum, suffectus est Villæ Fortis Marchionis præclarus animus,

per-

perilluſtre robur; unde fortitudinis inſignia in nomine pręfert. Paulus Marcheſius, qui ſuo nomine legioni nomen dedit, Marcheſiæ præeſt legioni, vir nobilitate clarus, tantum conſilio, & ætate valet, quantum alii manu, & armis. Quid de Sancti Boni, quid de Torellæ Principe non memorandum, quorum legiones ab eorum felicius omen deſumunt nominibus: quod familiæ decus? quæ ſanguinis virtus? prima Indiarum præfectura jam illuxit, & altera in præſentia Galliarum legatione: At horum Principum, ut par nobilitas, ita omnium par morum honeſtas, prudentia, & virtus. Exterorum Caput, etſi exterus, non imparis virtutis eſt, ac probitatis.

Nec ſunt morum, aut animi, vel familiarum ſplendore impares, quos Siculi Regni legionibus præfecit, Villæ Franchæ Princeps, Robettonius Dux, Theleſius Heros, quorum virtutes, prudentia, & robur cum ſatis, ſuperque pateant, ſupervacaneum duximus de illis dicere ſigillatim.

Hæ ſunt, quas modo in ſuis Regnis legiones inſtituit, hi Principes, hi Viri, quos eis præfecit; ſtatuetque alias, ut primum, cum ſuæ monarchiæ rebus melius ſtatutis, atque firmatis, regno pacato, auctoque meliora meditabitur, no-

ſtram-

ſtramque veram felicitatem, ac nepotum firmabit in melius.

Supereſt nunc, ut breviter videamus, quos Duces in ſui adventu principaliter, & Imperatores ſecum habuerit, ac tantæ rei, tantæque felicitatis vindices, & cuſtodes; qui uti ſummæ ſunt laudis, ita ſui principatus ſummum conſtituunt decus, & tutamen. Dux ſive omnium Imperator, Montis Marii Comes, per quem non invidemus Carthaginenſi Annibali, nec Romano Scipioni, nec Athenienſi Themiſtocli: Albeſcunt adhuc undique Africæ regiones mortuorum Arabum oſſibus, eorumque exercituum, quos millies fudit, atque trucidavit. Et ſonat recens adhuc de Theutonum exercitu penes Bituntum memorata victoria (a). Quem hoſtem hic dejecit, quos homines hic debellavit? ſolo nomine Germania olim terrebat, & ſola opinione Theutonum Duces, & Imperatores vincere aſſueverant; at nunc vincuntur, debellanturque.

Mirum certe, & prodigio conterminum, quod poſtquam æqua lance diu pugnatum fuerit, ſtrepitu, apparatuque ne dum armorum, vel tanti nominis triumphali ſono, partim Barium, partim aliò fœda, & præcipiti fuga ſe contulerint.

(a) *Sub die 25. Maii 1734.*

rint adversariorum agmina : Quos hic tulit triumphos cum Regi suo in tantæ rei testimonium , victoriæque vigintiquinque peditum vexilla Neapolim mittuntur , & quinque equitum intercœpta timpana , quæ bellantibus summam gloriam , omnibus summam admirationem peperere . Nec minoris laudis sunt cæteræ ejus illustres actiones , & victoriæ , tum Siculo , tum in Mediolanensi agro peractæ , quas ne ejus officiamus modestiæ libenter silentio prætterimus .

Sequitur Emmanuel Comes Chiarnius armorum omnium Generalis Præsidens , qui plurimum consilio valet , & armis , quorum labores subire non horret . Volantem ad ejus signa victoriam præceteris probat illa Campana stricta obsidio , qua octo mensium spatio Capuam domuit (*a*) , quæ nec tentanda videbatur , nec superanda . At quid summa ejus vigilantia non consequi valuit de imperterrito , capitique invicto Thraun , qui ita in extrema fortuna fortitudinis omnia servavit monumenta , ut commissam suæ fidei , & virtuti urbem , post diuturnam , ac laboriosam propugnationem , in nostri Regis potestatem tradiderit . Vehemens contra adeo

I quip-

(a) *sub die* 24. *Novembris* 1734.

quippe fuit, & ferox Emmanuelis oppugnatio, ita ad numerum disposita, ut desperata defensione ad deditionem coacti adversarii, mutuam a Regis clementia habuerint pecuniam, ut ejus ope, ad patrias regiones se reducerent. Quantum autem consilio, & prudentia in rebus publicis, politicisque polleat, patet e populorum ei credito gubernationis munere, quam a primo Regis Aversæ adventu suscepit, in totius Regni felicitatem; adeoque fauste illam habuit, ut sub ejus patrocinio, vel ipsam Regis absentiam dolere nemo audeat. Inde Princeps præficitur adjuncto consilio perduellionis crimine reorum; atque in fluctuantium animorum ambigua tunc temporis tempestate, ac turbida, ita clavum tenebat, & moderabatur, ut concitas quorumdam mentes ad quietis dirigeret portum, omnemque eluderet periculi turbinem. Et sane quæ ejus prudentia? ut vafrorum hominum perciperentur insidiæ, detegerentur fraudes, & doli? Quo plausu ejus excepta est administratio; cum nocentes coerceri visi sint, delatores deleri, & criminosi omnes publicæ pacis inimici meritis, debitisque pœnis mulctari?

Sequitur Johannes Comes de Marsiliaco armorum

rum omnium poteſtatem Regis noſtri jam Locumtenens, cui tantum ſupereſt vultu terrere hoſtes, nutu imperare ſuis, nam in præliis, quæ plurima pro Rege ſuo geſſit, pulcherrima ſorte manus perdidit; & vulnerum cicatricibus, quibus illum undique miramur inciſum, Regi ſuo, ſuam teſtatur fidem. Probant ejus virtutem illa ineluctabilis voluntas, in quavis expeditione omnibus præcurrendi exemplo, & animo; ac vivida illa bellandi gloria, quæ a primis annis inſita ſanguini, morte tantum extingui poteſt, ut ejus famam reddat immortalem. Hic pacis, hic belli index, hoc duce primum hoſtes tormentorum vim ſentiunt; quod noſtræ tepentes fontibus Baje expertæ ſunt nuperrime; hoc enim oppugnante, triduo deditionem fecerunt, primæque noſtro Regi de toto Regno victoriam cecinere (*a*).

Nec prætereundus eſt noſtræ Parthenopes inclyta gloria Caſtripignani Dux equitatus omnis Imperator glorioſus, cujus armorum gloria, & præclara facinora Hiſpanis, cæteriſq; nationibus jamdudum innotuere: Ultima quamvis patria illum noverit, ejuſque inclytas actiones, non ultima tamen admiratur, cum toti orbi illu-

(a) *ſub die* 22. *Aprilis* 1734.

cescant ejus virtutes ; gestaque illustria . Quid de Parthenopeo Heroe Nicolao memorem , cui a Sanguine Agnomen , & decus ; quique , & nobilitate , & consilio , morumque probitate in Hispania , & Mediolansi agro , tantum se præbuit , quantum cæteros ornare possent , si quæ, in ipsum confluunt collecta , in reliquos partita spectarentur , laudis insignia : Quæ magnanimitas in fronte ? Quæ splendet in pectore virtus ? quam a majoribus accepit , & in alios exercet benignius ? Hoc vero satis unum est amborum ad famam , quod pateant CAROLO , quæ pro Augusta Regis Familia , atque amplificando ejus Imperio subierint pericula , non semel effuso sanguine ; quorum fidei majora addet pro meritis Rex noster munificentiæ , atque honorum præmia , quæ vota vincent , & desideria .

Adde his Gratiæ Regalis Marchionem , cujus virtuti ad laudum cumulum sufficiet , præsidia illa Messanæ , ac quondam inexpugnabiles arces domuisse (*b*) . Prætereamus cæteros Duces , præclaros , fortissimosque Viros tum terrestri exercitui , tum maritimæ classi tunc temporis præpositos , vel postmodum adscriptos , per- incly-

(b) 23. *Februarii* 1735.

inclytum Michaelem Regium, Paſchalem Borrum, Joſephum Eſpulgam, utrumque Zelajam, alioſque, legioneſque alias, ac ſingula ordine ſuo percenſere; cum omnia cæterorum agminum, ducumque facta ſint ſingularia, turmatimque turmarum omnium encomia, eo encomio glomerata remaneant, quod ad eam comendationem devenerint, atque admirationem, ut comendatione non egeant; ſatis, ſuperque ſit ea, ſine delectu, & primis labiis delibaſſe, cum amplitudine ſua laudem omnem abſorbeant.

Videndum remanet quam forti animo hæc omnia Rex noſter incœperit, atque perfecerit. Et hic pauliſper de ea virtute agendum eſt, qua adverſa omnia libenter ferimus, deque nobis ipſis, paſſionibuſque noſtris fortiter reſiſtendo victoriam reportamus, quæ non a rerum divinarum tractatoribus dumtaxat ſemper maximi facta eſt, ſed & a ſapientibus omnibus celebrata, adeo ut digniſſimis laudibus eos ſemper proſequuti fuerint, qui adverſum aliquid fortiter pertulerint. Quis enim non laudat Anaxagoræ, Pauli Emilii, Fabj, Sulpitj, Catonis, aliorumque virtutem in ferenda æquo animo etiam morte filiorum? Quis non vehemen-

menter commendat Licænam illam, quæ, teste Cicerone, filium in acie cecidisse audiens virili fortitudine dixit: idcirco susceperam, ut pro patria non timeret occumbere: Quis demum non miretur invictam constantiam utriusque Corneliæ a Seneca relatæ, quarum unius fortitudo effulsit in obitu Tiberj, & Caj Gracchi filiorum, alterius in dilectissimi Drusi (a)?

Sed hæc cum in ira, dolore, mœrore, labore, aliisque affectionibus compescendis (b) versentur, etsi fortitudinis decus præseferant, ad Regis tamen Majestatem principaliter non pertinent; cujus præcipuum fortitudinis caput est in periculis subeundis, illis se majorem probare, atque ultra ipsos, sin armorum, certe invidiæ ictus se attollere, ut in bellorum discrimine usvenit: ideoque non tantum inter tela, & ignes animo rex se præbeat, & pericula subeat fortiter; verum etiam prudentia quadam quodcumque suscipiat facinus, ut temperate procedat, & temeritate vacet, & negligentia; ne opus, quod generoso susceptum est ani-

(a) *Val. Max. lib 5. cap. 10. & ult. Plutar. lib. 43. in vit. Dion 5. Tacit. 19. Cic. Tuscul. quæst. lib. 1., & 3. Ælian. var. histor. 3, Senec. in consul. ad Marc.*

(b) *Ex Cic. de offic. 1. cap. 17. & in lib. 3. de Natur. Deor. & Tusc. quæst. lib. 5:*

animo, cum temperate non regatur, fortitudinis temere excedat partes, lædatque justitiam. Societatem namque ineunt Prudentia, & Justitia, Fortitudo, & Temperantia & mutuas sibi dant manus ut Heroem perficiant: In quibus omnia contineri, veramque felicitatem Seneca monuit (*a*) e Stilponis philosophi digne dicto, ac sapienti responso Demetrio Megaræ victori dato, quo uni virtuti omnia inesse ait, illaque sola Demetrium victorem suum vinci posse probavit.

At primum, præclarumque fortitudinis opus, est victoria sui, quam Carolus noster, tunc primum reportavit, cum Regalis suæ Domus deliciis abactis, inclytæque Matris devictis illecebris, amplexibusque in Italiam iter arripuit adhuc Puer; ut ipse sibi in ipso Augustæ Domus limine caneret triumphos, atque suum statueret Capitolium, quò per illam, quam de se referebat victoriam, innumera referret monumenta palmarum: Hæc fuit prima animi constantia, primum fortitudinis signum, primum gloriæ iter; quod, quo glorisius ob sui ipsius imperium, eo præstantius, quod a Regio Puero peractum; qui cum

(*a*) *in sapien. non cad. injur. cap.5. et epist.9. in fin.*

cum assuescerct ardua pati, præclaraque moliri, libenter postmodum, & exultanter cœpit alterum bellicum; ad has nostras Regiones iter; & cum nihil ejus virtuti invium esset, invictum, & augustum in aula ostendere se voluit, ut fortem, & imperterritum in campo se præluderet, triumphalesque non tantum assequi, verum etiam meruisse laudes videretur. Quod felicius patet ex illa præclara Cajetæ expugnatione pene incredibili; nam quis hic reboantium tormentorum strepitus? quis fragor, & per septem dies continuus, noctuque, diuque fulgor? non crederem nisi hisce vidissem oculis, nam tunc me Pithecusa tenebat, unde hæc longius audire, cautiusque videre dabatur; & tamen in tanto discrimine rerum, bellique fortuna, ipse fortissimus Rex, non horruit inter alios esse, & per diem, uti gregarius miles, bellicis præesse tormentis; ut ita alios doceret in rebus asperis, & difficillimis fortis animi, & constantis esse, non perturbari; & magni esse animi magna obire pericula, quod egregie quidem præstitit in illa tam perdifficili expugnatione: Est enim ea urbs situ validissima, nam montium asperitate præcingitur parte ex una, & ab alia maris vastitate, intemperieque propugna-

gna-

gnatur; eamque militibusque, præsidiisque, hostis munierat, quoniam ob auxiliorum spem, certam illam belli sedem, refugiumque statuerat. Illam tamen forti animo Rex oppugnavit, oppugnatamque subegit (a).

At tanti animi, virtutisque insignia jam in nostro Rege illuxerant, ad idque veræ fortitudinis signum, opinionemque devenerant, ut solo nomine terrerentur hostes; quod celebris illorum probat ejectio ab arcta Muniani via, quam optimis præsidiis, validissimis copiis munierant Theutones; cum ad Regni fines posita, quasi ad primum Regni ostium, viribus omnibus præmunienda erat; & tamen tanti muniminis appuratus solo nomine evertitur: vix enim litui sonuere, vix aspecta sunt vexilla, ut territi hostes fugam arripuerint Capuam versus: Vera hæc est BORBONIA virtus, jamdudum enim singularis ille Heros LUDOVICUS XIII. ejus Progenitor hostes evertere solo nomine docuerat, cum arces Rupellæ stringeret, unde illud Etruscum satis percelebre encomium, quo a Parisiis devictam Romam poeta cecinit (a).

K Hoc

(a) *sub die 7. Augusti 1734.*

(b) *Ceda l'armi sue Roma a Pariggi.*
Che se Cesare venne, vidde, e vinse;
Venne, vinse, e non vidde il gran Luiggi.
Achell. ne sonet.

Hoc etiam ſolo nomine , rerumque apparatu perterritus Viſcontius Comes tunc pro Alemannis in Regno Prorex , ut primum nauticam claſſem adventantem vidit (*a*) , urbemque a Cratere ſtringentem , ad naſcentes , concitatoſque populi tumultus frenandos , militiis urbanis de more inſtitutis , (regiæ enim ad arcium præſidia vocabantur) in Apuliam ſe contulit , quem veſpere adacto , ſimili modo , equitum perterritæ , quæ ſupererant , copiæ ſequuntur .

Eodemq; terrore , ac nomine deduntur poſtmodum Piſcariæ , Brunduſium , Aquila Civitas , Hidruntina plaga , aliæque totius Regni quam citius arces ; quarum exemplum Panormus , Meſſana urbs , Gonzaga , quampluresque in Sicania ſecutæ ſunt ; earumque deditiones tanti Principis fortitudini plauſere , & triumphis . Nec minoris virtutis fuit iter illud , quo Siciliam ut cæteras illius arces in ſui poteſtatem omnino reduceret , adivit , media hyeme per ſaltus , per vada , per flumina pluviis , nivibuſque liquatis inundantia , & Auſtris undique furentibus (*b*) . Quæ quidem geſta , cæ-

(a) *ſub die* 19. *Martii* 1734.
(b) *ſub die* 3. *Januarii* 1735.

cæteraque, quæ bello inardescente præsetulit sui animi fortitudinem satis, superque præcinunt. Cum tamen omnia hæc non sine bellica prudentia, & consilio peragantur, ac militari disciplina, & militum obedientia, breviter de his, & pauca dicamus.

Et summam præcinit Regis bellicam prudentiam, illa tam cita Theutonum debellatio, ne eorum copiæ ingrandescerent in Apulia; qua celeritate Herdoneæ ad oppidum castra ponuntur, qua alacritate penes Bituntum hostes debellantur; in mensem cœptum est bellum, & completum. Claudii Neronis, & Livii Salinatoris (a) exemplo, qui ne in Apulia Annibal adolesceret, adjuncto ei Asdrubale Fratre, hunc penes Minturnum junctis, collatisque signis una die fuderunt. Simili modo Cæsar (b) in bello Germanico, postquam audivit hostium equitatum trans Mosam abesse, statim congressus est, summæque dementiæ existimavit, si expectaret, ut illi redirent, & vires resumerent: quod contra cum non curaret Pompejus ad Dirachium, & cunctando pugnam distulisset a Cæsare superatur; qui, uti testantur Scri-

(a) *Liv. dec. 3. lib. 7. cap. 36.*
(b) *in suis comen. de bell. Gall. lib. 4. cap. 5.*

ptores, hac de re Pompejum non noviſſe rationem vincendi, dicere ſolebat (*a*).

Nec minori ratione, & conſilio peracta vidimus illam memoratam nuperrime Cajetæ expugnationem, quam cum tantum a parte maris petendam eſſe cognoſceret Rex prudentiſſimus, ne hyeme ſuperveniente auxilii ſpes hoſti prælucceret, æſtatem præterlabi non patitur, & in ſui poteſtatem, quam citius comuni omnium admiratione redegit. Simili prudentia, & conſilio ſtatim peracta eſt Siciliæ reductio, peractæ ſunt cæteræ bellicæ actiones. Quemadmodum ergo principio ſuperioris libri ſcripſimus actus omnes prudentia, ita & militares reguntur præ. cæteris, cujus proprium eſt ſecundum temporum opportunitatem agere; & locorum: tempus enim actionis opportunum, quod Græce *ευκαιρία*, latine occaſio dicitur, ſemel elapſum difficilius iterum aſſequimur, & loci opportunitas non ſemper in noſtra eſt poteſtate: ex his vulgare illud; poſt hæc occaſio calva; in qua retinenda omnis poſita eſt prudentia, induſtria, & vigilantia. Et in re militari quam maxime, cum ut plurimum ab una hora, vel potius

(a) *Eutrop. lib. 6. Oroſ. lib. 6. cap. 5. Appian. de bell. civ. lib. 2.*

tius dexerim momento res pendeat, & victoria; ideoque omnia ante quadam prudenti cogitatione perpendenda sunt, atque constituenda; quod uti prudentis est, magnique ingenii, & consilii, ita imprudentis e contra, magnæque obscitantiæ, si de re ante non cogitata prudenter pœnitendum sit, atque dicendum, non putaram; quod in omni re turpe, at in militari turpissimum esse quam maxime Scipio Africanus ajebat, & Fabius (*a*): qua de re agendum est, non præcipitanter, & temere, ne illum finem inveniamus, qui est temeritate dignus, ut utrique Gneo Fulvio contra Annibalem, & Aulo Albino in Jugurtham pugnantibus accidit, qui negligenter omnia cum egissent, ac temere, in perditionem abijere; contra vero Fabius, & Metellus omnia cum antea prudenter constituissent, ac circumspecte, primus ab Annibale rempublicam servavit, alter de Jugurtha victoriam retulit (*b*).

Et in hac prudentia servanda omnis honor reponendus est, & gloria, cujus defectus a Cicerone damnatus fuit in Callicratre Lacedæmonio.

(a) *Valer. Max. lib. 7. cap. 2. Senec. de ira lib. 2. cap. 31.*
(b) *Liv. lib. 5. cap. 16., & lib. 7. cap. 1. dec. 3. Flor. lib. 2. cap. 6. & lib. 3. cap. 1. Salust. in Jugurt.*

niorum duce, & Cleombato (a) Pausaniæ filio, quorum primus bello Peloponnisiaco contra Athenienses, ne cum dedecore aufugisse de se prædicaretur, alter suspicione adductus, ne cum Epaminonda hoste connivere vociferaretur, congressi sunt temere, & occubuere. Hinc docemur in omni actione, nos, opinionesque nostras moderandas esse, & reipublicæ bonum primum servandum, propriæque anteponendum esse gloriæ.

Quid de militari disciplina, nonne hanc continuo miramur in illa nostrorum Militum quotidiana exercitatione? qua virtus in diem virtuti additur, & robur robori: exercitatio enim vires excitat, & arctus duriores reddit ad labores. Quod in jumentis etiam cum experiretur Eumenes (b), & in Nora Phrigiæ Castello obsidione cingeretur, loro suspendit equos, & flagro quotidie percussit, ut, motu continuo excussi, pigri ad bellandum non essent cum oporteret: hinc Metellus (c), & Scipio quotidie milites exercebant, & Marii milites ita assiduè in opere habebantur, ut Muli Mariani

(a) *Cic. de offic. lib.1. cap.15. ex Xenoph. 1. Polipomen.*
(b) *Nep. in ej. vit. cap.5.*
(c) *Saluft. in Jugurt.*

riani (*a*) nuncuparentur : quod ad reipublicæ conſervationem in jure politico pertinet ; cujus præcipua regula eſt , pacis tempore non tantum liberalibus artibus incumbere , quam gymnaſticis , ne torpeſcant milites cum a pugna ſuperſedeant , et ſegniores fiant (*b*) : hac ratione veteres , qui plurimum militarem rem coluerunt , pueros , juveneſque arma tractare, jacula torquere, agitare equos , eruptionem facere , ſimilibuſque ludicris certaminibus ſaltu, curſu exercere membra cogebant ; unde Virgilius (*c*),

Ante urbem pueri, et primævo flore juventus
Exercentur equis,domitantq;in pulvere currus,
Aut acris intendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, curſuq; ictuque laceſſunt.

Quid de militum obedientia , ad quam ſervandam omnis cura adhibenda eſt ; et apud Romanos ita ſanctum erat, et ſolenne , ut animadvertebatur etiam in eos , qui injuſſu Imperatoris pugnaſſent , etſi viciſſent , ut quamplurimi ferunt Hiſtorici de Manlio Torquato , (*d*) qui filium ſecuri percuſſit , etſi de hoſte vi-

(a) *Plutarc. in vit. Mar.*
(b) *Ariſt. 8. polit. cap. 4.*
(c) *in 7. Æneid.*
(d) *Flor. lib.1. cap. 14. Liv. Valer. Max., aliiq;*

victorem ; idemque a memorato Epominanda Thebano servatum ex Cretiphonte Plutarchus (a) tradit : Et rectè ; obedientia enim remissa, & conculcata imperii lege, in oscitantiam, & incuriam inducuntur sane milites, ex quibus satis superque patent clades inde secutæ. Legiones Romanæ luxuria corruptæ nimia Mancini (b) ducis licentia, a parva hostium manu devictæ sunt penes Numantiam, quæ contra Scipionis imperio, deinde restituto exercitu, excisa est. Hinc merito Florus (c), hanc referens historiam; Tanti, inquit, esse exercitum, quanti Imperatorem vere proditum est. Sed veluti nimiam severitatem in Manlio, Epaminondaque detestabilem ; ita etiam, nimiam lasciviam in Mancini indulgentia censemus. In utrumque enim in damnosam, & dubiam itur summi periculi aleam, cum nimia severitas animos militum avertat, & in fugam agat ; indulgentia vero corrumpat, enarvetque virtutem, atque alterutra si prævaleat, necesse est ut omnis corruat militaris institutio. O quam bene suum in Imperatores obsequium servant nostri

(a) *in paralip.*
(b) *Val. Max. lib.2. cap. cap.7. Liv. lib.5. dec.5. Flor. lib. 2. cap.* 18. *Fran. Strat. lib.4. cap.*1.
(c) *Flor. ubi sup. cit. cap.*18.

ſtri Regis milites , quam bene in milites mutuo reſpondent amore. Imperatores ipſi ; quorum proprium eſt , cum milite ita agere , ne nimia ſævitia , vel nimia bonitas a ſe militum animos diſtrahant : At modo ad Conſilia ; quibus hæc omnia peraguntur gradum faciamus, quæ ad hanc noſtri operis partem pertinent , & ſunt in politico jure principaliora.

Et ad civitatem conſervandam , & rempublicam non minora exiſtimantur intra mœnia clauſa conſilia , quam in apertis caſtris arma ; quæ inutilia , ac parvipendenda ſunt , vel in conſerta militum acie , niſi per libera ſapientium conſilia armorum actiones regantur, militumque acies , & bellantibus conſulatur , eorumque virtutibus : quod Ciceronis exemplo patet, cujus conſilia , improbo Catilina patria expulſo , illam reipublicæ pacem , libertatemque incolumem ſervarunt , quam florentis exercitus vis , atque robur non ſervaſſet . Arma quippe quandoque novimus civitati , & reipublicæ prodeſſe , conſilia vero ſemper , & continuo : conſiliis enim adjuvari arma in diem experimur , non armis conſilia . Hinc merito a ſapientibus majoris adjumenti Athenis reputatum eſt inſigne Areopagum illud , in quo patres ſumma integritate arca-

L na.

na judicia pronunciabant, quam Themiſtocles, qui, ſenatus illius authoritate, ſtatuta bella geſſit, & triumphis ſe coronavit. Idem cenſendum de Licurgi legibus, ac inſtitutis, quæ majorem patriæ tranquillitatem attulere, quam congeſti Pauſaniæ, ac Liſandri triumphi. Idem legimus de Romano illo Senatu, cujus ampliſſima authoritas, vel ipſis præcipiebat Imperatoribus; quæque ita adolevit in civitate ut Marci Scauri, Quinti Catuli, Publii Naſicæ mandatis obſequi tenerentur Cajus Marius, Gneus Pompejus, Scipio Africanus in caſtris: Eorumque conſilia tanti habita ſunt, ut etiam vivere poſt mortem viſa fuerint; quod probat Marci Catonis authoritas, cujus conſilio tertium bellum Punicum ſuſceptum eſt, & quamquam ſequenti anno illum mors occupaverit, bellum tamen non fuit intermiſſum, & Carthago ad internecionem, ſuperſtite ipſius decreto, fuit deleta. Et quidem optima cujuſque reipublicæ, cujuſque principatus forma, non tam in illa principis, capitiſque providentia, ac ſumma vigilantia in imperando poſita eſt, quam in illa prudentia, qua optimos Conſiliarios ſibi eligit, ſapientia excellentes, voluntate præſtantiſſimos ad com-

excel-

mune, publicumque bonum promovendum, quibus imperat, & omnia regit; in quo summa rerum est, & caput: Quod bona quadam consultatione administra prudentiæ, & comite assequitur; & plurium, multorumque ad unum caput redactis consiliis, ab eo illa scatet Consultatio, atque descendit, quæ, ut Stagirita docet (*a*), recta quædam, ac matura consilii ratio est, qua decenti via, honestaque bonum finem assequimur; quod si malus eventus, e bona consultatione sequatur, vel e contra; tunc non prudentiæ, sed fortunæ tribuendum esse tradit, ejusque temeritati. Ex his vulgatum illud prodiit adagium, Athenientium mala consultatio, in rebus iis, quæ bonum sortitæ sunt finem, etsi malo cœptæ sint consilio (*b*): quod quidem in hoc nostri Regis principatu nullimode accidere potest, cum tota consiliorum summa vertatur in præclarissimo viro illo, ac celeberrimo Sancti Stephani Comite; qui publicæ mentis lumen, ac numen solus senatum coaptat, sibi soli conflictat judicio, cum controversias, aliorum permistis consiliis, opinionibusque deliberat, ac decernit tanta severitate, atque integritate, ut solus integret

L 2 Arec-

(a) *Eth. lib. 6. cap. 9.* | (b) *apud Suid.*

Areopagum. In quo ſapientiſſimo Homine hæc, majoraque alia prudentiſſime, ſciteque animadverterat. jamdudum PHILIPPUS præſtantiſſimus noſtri Regis Pater, illiuſq; ſummam prudentiam cognoverat, fidemque probaverat, ab illa tanti viri præclara ad Ultrajectum legatione pro pace, cum Imperatore CAROLO Auguſto peragenda, & ad ſuum finem perducta ſumma ſua ſapientia; quam in rebus agendis hauſerat adhuc puer, ab æternæ recordationis inclyto Patre Siciliam, Neapolimque moderante; felicitatem, quam tunc temporis populi a ſumma Patris humanitate experti ſunt, majorem filio moderante, experturos eſſe credidit: Propterea que CAROLUM Noſtrum cum ad Parmæ, Placentiæque populos regendos, Neapolim, Siciliamque repetendas, habendaſque mitteret, illum ei addidit, ut non tantum teneræ Principis ætati levaminis foret, quam conſilii, primumque locum penes Principem teneret, & ſecretiora conſilio diſponeret. Nec ſe fefellit: ſua enim humanitate; prudentia, & vigilantia, nonne omnia ex omni parte expleta ſunt, atque perfecta? Sua temperantia, & magnanimitate nonne felicius procedunt? Sua juſtitia, clementia, probitate, cæteriſque ejus virtutibus,

non-

nonne totam Urbem , totumque Regnum ad veram politiam illam perductum esse videmus ; qua populi omnes ad integram , perpetuamque felicitatem , jam se adductos esse fatentur ; vel si a Rege nostro sua consultatione promulgatas leges inspiciamus , justitiæque administrationem, aliaque civilia , urbanaque acta miremur , vel institutam in utroque Regno militiam , aliaque bellica contemplemur majora facinora. Et cum non sola virtute , ac dignitate , sed comitate magis , & benignitate populorum animi conciliantur ; plurisque morum honestas valeat ; quam virtutis splendor , munerumque fastigium ; illis eo moderatius utendum esse constituit clarissimus Vir , quo ita populos Regi suo quam maxime alliciendos esse constabat.

Cum autem consilia a sapientibus tantum habeantur , vetustæ ætatis dominantium , in iis exquirendis omnis fuit diligentia ; ita Imperator Trajanus non solum sapientes homines , qui Romæ erant veneratus est , verum , & aliunde quæsivit , eosque tanti fecit , ut Dionem Philosophum secum in triumpho duxerit ; ita etiam Crœsus Lidiorum Rex nonus a Græcia Anacarsetem expetivit , & Dionysius Syracusarum tyrannus Platoni in Siciliam naviganti ma-

gni.

gnifice occurrit, & Syracusas duxit; & quamquam Alexandrum, Philippum, aliosque complures commemorare supervacuum sit, supervacuum tamen non est Falarim immanissimum Agrigenti tyrannum commemorare, qui inter sua scalera id tantum boni habuit, sapientes coluisse, quos sæpe consuluit, atque humaniter habuit; quod cum Octavio Cæsari innotesceret, oblata ei quadam tabula, in qua ipse princeps bonorum pingebatur principum, & Falaris malorum, authorem reprehendit, & uti se inter bonos adscribi non mereri, modeste ait, ita nec Falarem malorum coryphœum declarandum esse clamavit, quod sapientes, philosophosque amasset. Idque revera Falaris ipse, ingenueque tradidit in epistolis, quas suo charactere scripsit; in quibus sæpe sæpiùs animadvertit principem decere pro reipublicæ conservatione, atque tutamine præcæteris, & principaliter authoritatem habere, gravitatemque consiliorum, a quibus principatus regis, & regni tranquillitas pendent.

Hinc mos apud veteres principes fuit filios sub cura Sapientium relinquere: ita Constantinus Imperator, ut cognovit Alabi Philosophi sapientiam non solum in Prætorio præfectum

ctum destinavit, sed Constantium filium jussit eum eo imperium regere: & Theodosius primus cum annorum quinquaginta esset præposuit Arcadio, & Honorio filiis Rufinum, & Stilliconem, qui juvenes annorum decem, & septem in imperio regerent; quorum exemplum cum imitaretur, adimpleretque PHILIPPUS Pater nostri Regis præclarissimus, non tantum prænominatum insignem Emmanuelem de Benavides CAROLO nostro Italiam accedenti adjecit, verum in tanta rerum novitate, & fortuna, etsi sciret illius consilio nihil posse falli, tamen, ut cautius ageret, illudque exequeretur civile præceptum, quæ plurium scilicet meditatione versantur difficilius in errorem prolabi, & plurimum valere, Chiarnium adjunxit, Montis Marii Comites, & Marsiliacum supramemoratos; hisque primum, & præceteris addidit pervigilem virum illum, atque ommigena virtute præditum Joachim de Monteallegro, ejusque expertæ fidei mandavit, ut in tantarum rerum novitate, ac varietate in supplicibus excipiendis libellis a secretis præesset, tantumque consiliis prævaleret, ac prudentia, quantum cæteri militari munere possent, & virtute: Sciebat enim ad tanti Herois mentem consiliis, animumque moribus effor.

probatum sit, quod nec mutanda videantur, nec aliqua in parte reformanda. Quodve admirabilius in tanto Homine est, ac sapiente, ille in sui muneris exercitio videtur esse indefessus, & perpetuus labor, & tamen illum pro solatio habet; sique animum ab illo inter subsicivas temporum horas parumper demittat, illum tamen a mente demittit numquam. Quid personæ majestas? gravitatem illam præsefert, quæ non territat, sed allicit, quam & in accubatione, statione, oculorum spectes manuumque motu: cæterasque ejus virtutes, vel magnanimitatem commemorare, munificentiam, justitiamque prætermittimus, quibus, dum omnia recte librat; populosque reddit felices, se supra omnes extollit, & lectissimis laudum coronis a fama coronari meretur. Sed jam ad propositam nostræ dissertationis partem revertamus, ne tanti viri temperatissimo animo molestiæ potius simus, quam debitis illum exornemus encomiis.

Horum sane, tantorumque Hominum gravissimis consiliis, præclarissimisque virtutibus, recte omnia ab Rege nostro peracta esse videmus; cujus insigne argumentum est admirabilis illius Clementia, qua hostes ipsi captivi captivitatem non senserunt, quaque allecti libenter,

priſtinis relictis ſignis, ejus ſigna ſequuti ſunt; & læſæ Majeſtatis rei ſupremo ſupplicio puniendi, cum exilio puniantur, tantam quoque experiuntur clementiam: Horum etiam conſiliis qua bonitate populos recepit in fidem, illorumque preces binignius excipit, quam munifice illos habet, & liberaliter; quæ omnia majoraque, etſi ſua virtute Rex noſter, & ab ſanguine hauſerat, ad ſummæ tamen virtutis culmen, his probantibus Viris, perducta eſſe videmus: & vectigalia, cæteraque ad quotidianum uſum, vitamque deſtinata, quæ belli tempore, mirum in modum excreſcenda erant, nullimode augentur, imo ad majorem opulentiam, & felicitatem nova cuduntur numiſmata, & de ſocio Princeps lætatur Sebethus noſter, ſuæ novæ pecuniæ uſu. Et hæc quidem majorem habent ſplendorem, & admirabiliora ſunt, quam agmina profligaſſe; cum majoris admirationis, virtutiſque ſit civium commoda, & reipublicæ ſervare, quam hoſtes perdere; quamquimaxime inter turbulenta belli tempora. Ab incœpto ergo opere ne deſiſtatis Sapientiſſimi Viri, & tanti Regis Principatum, illiuſque ſubditos uti ad integram felicitatem erexiſtis, ita ad omnimodam, integramque beatitudinem perpetuo, æternumque erigite.

His

His quoque addidit Beruich Ducem, & nostrum Lælium Caraphæum, ambos integri consilii, morum, virtutumque nobilitate claros; quorum prior clarior est gloria, gestisque patris, cujus memoriam Rhenus æternum servabit, canetque posteris, seculisque futuris, ubi nuper pro Galliæ Rege suo exercitum ducens, bellatorum in medio mortem oppetiit gloriosiùs; alter sua fide illustrior, qua PHILIPPI CAROLI nostri Augustissimi Patris jamdudum sibi devinxerat animum, cum ejus discessus tempore ab hoc Regno, non horruit propriæ vitæ periculo, fortunarumque illum in Hispaniam sequi, ut suæ veræ fidei, fidem faceret; quam, pace postmodum inita, plenius probavit, cum Neapolim advectus, postquam suos Vir viserit, propriæ Domus spretis commodis, atque deliciis, in Hispaniam est reversus: quapropter non immerito illum Corporali Principis Celerum (a) perpetuæ Custodiæ præposuit, ut celeriori laudum encomio tantam virtutem fama præcineret. Nec prætereamus inclytum Clementis Nepotem Cursinæ familiæ splendorem, qui per sui Patrui principatum

M 2 præ-

(a) *Celeres, equites erant, quibus Romulus ad sui corporis custodiam utebatur, ut notavimus infr. lib. 2. nost. poes.*

prætereuntem Principem in veræ fidei testimonium, & observantiæ Neapolim secutus est; ubi majoribus quotidie virtutibus splendens, præsertim in eo amplissimo munere, quo in Status Consilio Regi nostro a consiliis erat, Regis ipsius deinde vices in Siciliam obiturus mitti promeruit; ut quantum felicitatis ex optimo Rege experitur hæc nostrà Sicilia, tantum illo mediante experiatur & altera.

His autem Consiliariis, qui ad bellicas, & ad urbanas res adhibentur Sapientissimus Rex duos de nostratibus addidit, ut cum illis res nostræ, necessitatesque clarius pateant, eorum consiliis melius consulat, & nostram melius augeat felicitatem. Hac ergo prudentissima deliberatione in Status Consiliarios eliguntur, Laurentanæ Dux è Cajetana nobilitate illustris, & loco perinclyti Franchæ Villæ Principis e nobili Doria Familia defuncti, præclarus Juvenatii Dux è Prætoris subsellio, quod gloriosius regebat, eductus; quorum uter preclarior nescio, cum uterque illustres avorum animos ad laudem jactet, & nomen ex morum, virtutumque præstantia augeat, qua se majoribus non imparem, posteris vix æquandum uterque se reddit. Hac etiam deliberatione pro Re-

gno

gno Siciliæ additur perillustris Hyeracis Marchio, cujus animi mores egregii, virtutisque honestas ab tanto munere superbiores decus omne præseferunt; quo cæteris non impar cum sit ipsa Sicilia, sibi, & patriæ decus adauget.

Accedunt his Torellæ Princeps ad Invictissimum Galliarum Regem pro nostro Carolo Orator, de quo pauca pro dignitate scripsimus, cum de armis ageremus, & militibus. Soræ Dux jam Matriti, & Rocchę Aspidę Princeps ad Patrem in pręsentiarum Oratores; qui homines? quę domus? quę familię? quę nobilitatis insignia? quorum virtutes, & consilia in eorum legationibus effulsere prudentię, & faustitati consortio decorata, ut Sorę Dux ad Sponsę regales thalamos regendos destinaretur sua probitate, & integritate; Torellę vero, & Rocchę Aspidæ Principes, in ea qua funguntur legatione munus obeunt, sustinentque adeo accomodate, ut nec onus, nec honos ipsos premaț, obruatque. Neque horum dissimile est, nec minoris ponderis, consilium Johannis Brancatii, qui Regali Patrimonio, ac Ærario Præfectus illud magnifice amplificavit, & sua vigilantia, & industria Carolo nostro uberiores concessit divitias. Hic etiam Magdalunensium

ſium Ducem, Hoſtiliani Principem, quamplureſque alios ejuſdem Ordinis nobilitate inſignes viros, & familiarum ſplendore, probitate, & juſtitia præclaros recolere oporteret, qui etſi ad conſilia non vocentur, maxima pars ſunt noſtri Regis imperii, ſuæque aulæ magnum decus, & ſplendor: illorum autem laudes meliori ingenio relinquendas eſſe putamus, non uti a præſenti noſtro opere, & inſtituto prorſus disjunctas, & alienas, ſed quod ad illas delibandas vires non ſuppetant, earumque lumine noſtræ hebeſcat mentis acies; quæ curſim, raptimque ſcribere, & brevi periodo, tanta complecti nequit Heroum inſignia, quæ vel ipſius gloriæ limites excedunt.

Sequuntur Cameræ interioris Sanctæ Claræ, ac S. R. C. ſuperius primo libro enumerati Conſiliarii, Regiæ Cameræ Præſidentes, aliique, qui etſi ad bellicas res, & urbanas definiendum non accedant, tamen, cum queſtiones in iis ad juriſprudentiam pertinentes incidant, eorum conſilio habito definiuntur.

Et re poſtulante ex præfatis Conſiliariis, ut plurimum, & ſapientibus viris, particularia eriguntur conſilia, & tribunalia, quæ ſub vulgari nomine Junctæ appellantur, & in his de

eo

eo tantum agitur negotio, cujus causa erecta fuere, omnique ex parte absolvitur; ut illud de Regni onerum moderatione, sive subditorum gravamine tollendo, vel minuendo; aliud de iis, qui perduellionis, lesæque Majestatis crimen contraxere; aliaque.

Hæc ergo sunt Consilia, hi Homines, quibus Rex noster ad sui Principatus Monarchiam regendam usus est, quorum prudentia, virtus, & sapientia dubium nobilioresne evaserint ipsa electione, an electioni nobiliorem contulerint dignitatem; ne potius afferere velimus dignos tanto Rege Consiliarios, dignum his Consiliariis tantum Regem esse: qui tamen se digniorem, atque amabiliorem reddit, cum prænominatos Belli, Status, Justitiæque Ministros, ac Duces ex nostratibus fere omnes elegerit, ut eadem respublica, quæ onus pro illorum ferret stipendiis, a suis quoque haberet civibus levamen, qui dum præsunt, prosunt, & munerum honorem in patriæ decus vertunt. Quæ cum ita sint, quis ambigat non tam Principis, quam Patris nomen Carolo nostro tribuere, & ita veri Principis, cum, utrumque munus implendo, reipublicæ bona in ejusdem commune bonum re-

fe-

ferat ; atque addicat ? Illud etiam præ oculis habuit, ut ministros seligeret, quibus mentis acumen, amorem acuerat ad patriæ commoda tutanda, & promovenda, ne inter ista mutatio morum contingeret, quę ob ministrorum inscitiam, jurium, statutorum que reipublicę accidit ut plurimum, ac ab honesto, debitoque amore, quem in rempublicam quandoque non habent exteri, ad patriam destruendam potius apti, quam sublevandam (a).

Et hęc quidem omnia felici Regis adventu consequti sumus, atque ab illo politico jure, quo cętera dispofuit in nos derivasse gaudemus: Unde pręstans effecta est ejus Monarchia, quę orbem implet armorum strepitu, & glorię plausu; pręstantior nostra felicitas, cum magistratibus, & consiliis regamur optimis, fortissimis protegamur armis: Omnium denique pręstantissimus Rex noster, qui orbis universi dignus est imperio, cum omnibus suorum facinorum splendore faces pręferat ad virtutis iter, & cęteris impervium unus ascendat dignitatis, & potentię fastigium.

DE

(a) *Arist. 5. polit. cap. 9.*

DE ADVENTU CAROLI BORBONJ,

EJUSQUE GESTIS, ET VIRTUTIBUS

LIBER TERTIUS,

In quo cætera ejus gesta habentur, & virtutes.

PLatonem (*a*), quem ob insignem sapientiam divinum veteres appellabant, rogatum ut leges Cyrenensibus scriberet, id sapientissime negasse ferunt, quòd scilicet in summa rerum facultate viverent, & opulentia. Magnifica vere vox, tanto digna viro, ac sapiente; quæ declarat legibus quidem morum reformationem contineri, sed hanc difficillime eos assequi, qui in summa divitiarum facultate vivunt, & fortuna, ob insolentiam nimirum, superbiamque, qua adeo eorum animi turgent, tumentque, ut se vix a terrarum orbe capi posse credant, quo fit ut pene impossibile sit, quo minus virtutibus non reluctentur.

N Et

(a) *Plutarch. ubi de princ. doctrin. agit.*

Et ſane homo privatus in magnis fortunis, copiiſque poſitus, ut Cicero (*a*) ſcribit, niſi magna ſit ſapientia præditus, difficilius se honeſtati ſubmittit, virtutum, & voluptatum appetitiones, ſenſuumque compeſcit; quod ſi difficile eſt in privato homine, difficillimum ſane in regibus, in quibus (niſi egregia virtus animum poſſideat) ſumma poteſtas, rerum omnium ſumma licentia, adculmen vitii eos perfacile adigunt; quod idem Cicero (*b*) de Alexandro notat, qui poſtquam ad ſummum fortunæ pervenit crudelem, ſuperbum, immoderatum ſe præbuit. Præterquamquod aſſentatores, qui continuo in aulis adſunt, non modo propenſos ad vitia præcipites agunt, ſed & eos qui natura, & educatione virtutem amplectuntur, malis artibus, variiſque modis, ab illa abducunt. Ulterius aliorum invidiam, qui in ſumma divitiarum eſt opulentia, non effugiet; ut Pittacus (*c*) ille ſeptem ſapientium numero habitus monuit, qui, cum ei jugera multa millia Mitylenæi dare vellent, amplius quam centum noluit, quæ ſui animi æquitatem, & Mitylenæorum voluntatem indicarent,

& alii

(a) *contra Rull.* (b) *ad Attic. lib.*13.
(c) *ut not. Nep. in vit. Thraſyb. cap.* 4.

& alii non inviderent, vel concupiscerent: Hac etiam de re Thrasybulus (a) pro multis suis meritis Atticis præstitis corona ex duabus virgulis oleaginis contentus fuit, quæ amorem civium exprimeret, & invidiam non crearet. Sed hæc quam longe a Rege nostro absunt, qui in summa rerum potestate, summisque divitiis, summum tamen, inauditumque modum, ac sapientiam, moderationemque semper exhibuit. Verum antequam ad has virtutes pertractandas accedamus, illud admonere volumus, compescendas esse voluptates, & nostrum quisquis est in summis divitiis positus, & fortunis, prudentiorem debere esse, secus nihil prodesse scire quibus terminis contineatur temperantia, modestia, continentia, aliæque virtutes, si voluptatibus prius terminum non ponamus: Inutiliter præcepta dantur, Seneca (b) ait, nisi obstantia præceptis amoveamus. Quod sane de iis intelligimus voluptatibus, quæ honesti finem excedunt; quæ enim ad honestatem conducunt, atque ad beatam vitam conferunt, ut scientiarum meditatio, virtutumque contemplatio, omnino sunt amplectendæ; ideoque lætandum in iis, quibus oportet scripsit Aristo-

N 2 teles

(a) *Nep. ub. sup. cit. loc.* (b) *epist. 96.*

teles (a), & execranda, quæ odio digna ſunt; ad quæ aſſequenda aſſuefaciendos eſſe pueros ab ipſa primæva ætate, idem Plato monuit, ut cum educatio recte, atque ordinata proceſſerit, modeſta, & continens adoleſcentia erit, virtute ornata virilitas, & laudabilis ipſa ſenectus; quæ in noſtro Rege non modo ab ipſa adoleſcentia notamus, ſed in cæteris ejus annis majora ſemper evaſura certo credendum ob ſuam morum integritatem. Et tandem in hac ſententia unuſquiſque aſſueſcere debet, atque manere, in eaque adoleſcere, atque educari; rationis ſcilicet tantum in ſe imperium admittendo; virtuteſque in actione, earumque exercitatione conſtituendo, non tantum in ipſarum cognitione: Quod cum efficiemus, mores conſequemur honeſtos, & virtutum amatores nos eſſe exhibebimus, noſtrique Caroli imitatores; cujus ceteras virtutes more noſtro breviter, raptimque ſcribamus.

Et cum de prudentia, juſtitia, & fortitudine ſuperioribus libris actum ſit, hic primum de temperantia agemus, ad quam modeſtia, continentia, aliæque virtutes, quibus animi cupiditates moderamur, reducuntur, & promiſcue ab autho-

(a) *Ethic. lib. 2. cap. 3. & lib. 10. cap. 1.*

authoribus (*a*) accipiuntur ; ideòque , honestatis , decorisque fons maximus est, ex quo affectus omnes, appetitusque emanant (*b*); quibus rationis, & ad justi, honestique normam reductis, decorum illud loco, & tempori conveniens, specialiter servare videmus: Decorum enim generale ex harmonia, & omnium virtutum consensu procedens, uti in universitate rerum, ac virtutum concordia positum, omni officio inest; at decorum personæ temperantia tantum instituitur. Itaque quamquam in prudentia, justitia, & fortitudine quid deceat, dedeceatque inspiciamus, id tamen maxime in temperantia assequimur. Et cum in his tribus fere omnis vertatur virtus; in rerum scilicet omnium veritatem perspiciendo, & quod eis consentaneum est intelligendo, in quo vera prudentia est; in turbatos animi motus, quos Græci πάθη nominant, cohibendo, appetitionesque, & voluptates rationi subiicendo, in quo temperantia; & in iis tandem, quibuscum congregamur, atque versamur, moderatè utendo, eorumque studia imitando, in quo socialis observantia, modera-

(a) *Cic. Tusc. lib. 3. 4. 5. et in epist. lib. 1. epist. 1. & in Saturnal. epist. 5. Gell. lib. 6. cap. 8. Curt. in 3. de reb. Alexand.*

(b) *Ambros. lib. 1. de offic. cap. 24. & 47. Basil. in ascet. cap. 16. & Cic. p. de offic. cap. 34.*

deratio, & urbanitas (*a*); temperantia, propterea in his utendum est, præcipue ut sociales simus, & urbani, imperturbati, & rationabiles, continentes, & moderati: & cum non omnem sensum, & voluptatem turpem esse putemus, sed quæ immoderata est, & non ordinata (*b*) eousque actiones honestæ erunt, & voluptates, quousque modum servant, & mediocritatem.

Turpium autem cogitatione temperantia corrumpitur, contra servatur virtutis amore, quem animo inserere oportet, ut vitiorum turpitudinem fugiamus, ac fœditatem, & sensus custodiamus honestos, ac temperantiam consequamur. Aufugiendum ergo ab iis delectationibus, quæ coinquinant, ut quadam abnegatione sui, ad constitutam mediocritatem cupiditatum cum pervenerimus, decorum illud, quo percipimus, quid honeste conveniat, quid immoderate dedeceat, verecundia etiam assequamur, altero temperantiæ fonte, ac præcipuo. Verecundia enim non tantum omnia modeste agimus, sed alias quoque cupiditates compescimus, & inter honesti fines retinemus: Hinc Valerius Maximus (*a*) verecundia, inquit, parens est omnis

(a) *Cic. de offic. lib. 2. cap. 3. in fin.*
(b) *Arist. 7. etb. cap. 12. 13. 14. & lib. 10. cap. 3. 4. 5.*
(c) *Cap. 4. de verec.*

nis honestè consilii, & Cicero (a), nihil honestum sine verecundia, nihil rectum esse confirmavit; imo si quid dedecoris admisimus, aliquo alio facinore, verecundiæ pudore ducti, emendare studemus: uti Romani illi milites ad Gaudinas furcas jugi dedecore adacti, insignem de hoste victoriam, deinde retulerunt: adeo enim eorum animos incesserat pudor ille, ut Roma egressi ad Samnium usque per viam in terras oculos defixos haberent, & in manibus enses districtos non alio animo adhortatore, ut Livius testatur (b), nisi illo præteritæ ignominiæ, quam habuerunt, cum sub jugo mitterentur. Cæsar (c) quoque in prælio cum Pompeji Magni filio, non aliter suorum fœdam continuit fugam, quàm elata voce legionibus eam mentem obiiciendo, quanto cum dedecore Imperatorem desererent; quo factum est, ut verecundia magis, quam virtute legiones restitutæ fuerint; quod proprium insigne Romani nominis fuit, pudore, & verecundia belli perditas res servare (b). Principalior tamen verecundiæ finis, & pudoris vis, effectus illi sunt, quibus venereos erubescimus ultra modum sequi appetitus, gulæque

(a) 1. *de offic. cap. 52. in fin.* (b) *decad. 1. lib. 9. cap. 9.*
(c) *Plut. in Cæsar.*
(d) *Patercul. poster. volum. Plinius lib. 36. cap. 15.*

læque ſenſus (a); unde originem trakit maxima illa virtus continentia; qua affectus, quos vehementes ex corruptæ naturæ vi ſentimus inter ſuos coercemus limites: hac iram etiam, & ſuperbiam, præcipue tamen pecuniæ cupiditatem, cæteraſque voluptates comprimimus, & nos frugales reddimus (b); ideoque in omni re moderatio adhibenda eſt, qua, juxta præcitati Pittaci ſapientis, & Cleombati præceptum, docemur, ne quid nimis, & ultra modum ſit, vel honeſtatis fines excedat.

Harum virtutum limites, quam bene ſervat noſtri Regis aula, quam bene ipſe CAROLUS: qui veluti tantæ virtutis exemplar ſe aliis præbet: quæ Sancti Stefani Comitis moderatio? quæ Montis Allegri, cæterorumque ſuperius nominatorum Heroum in rebus omnibus, eorumque inſtitutis modeſtia, & temperantia! decorum proprii Miniſterii, quam bene ſervant, perſoniſque, quas induunt, conveniens: quæ muneris quod quiſque exercet ſubſtentatio? quæ cæterorum ad id reſpondentium perfecta concordia? At omnium noſtri Regis temperantia illuſtris, illuſtrior continentia, quibus, & mores regit, & voluptatum ſen-

(a) *Gell. lib. 6. cap. 8.* (b) *Cicer. 4. Tuſcul.*

ſenſus omnes , apetituſque comprimit , quæ admiranda fuere in Puero , & nunc mirabiliora ſunt in juventute ; qua ætate , ſenſus potentiores validiore , ac majore vi majora appetere ſolent : quibus ſi addas & regiam poteſtatem qua facile optata executioni poſſunt mandari ; ſi noſtri aeris temperiem , ſi civitatis venúſtatem , civiumq; ornatum , ac ſpectacula , quæ ad luxum plurimi valent , morumque lubricitatem , quantæ virtutis erit animum continentem habere : o juventutem admirabilem , o incredibilem continentiam , qua juvenes omnes , quid eos juvenili ætate deceat animadvertunt , ut voluptateſque , ſenſuſque refrenent.

Et cum non geniti ad ſevera ſtudia , & continua dicamur , & ſua ſunt faſtidia cuique, juvenes etiam Rex noſter docuit verecundiæ fines non excedere , cum relaxare velint animos , & dare ſe jucunditati ; quod illa quidem honeſta probavit venatione , ac piſcatione , quibus aliquando graves ſolatur labores : venatione enim , & agricultura , ſimilibuſque honeſtiſſimis inſtitutis magis relaxatur animus , quam ludo , vel joco : quas plane honeſtius ſuppeditat hæc noſtra Regio , quæ omnium uberrima ampliſſimum venandi aperit campum , & piſcandi commodum.

O Sed

Sed transeamus ad animi cultum, qui a cultu, motuque corporis pendet, & ad temperantiam etiam pertinet; unde decorum, illud loco, & tempore conveniens ortum habet, quod positum est in incessu, sermone, oculorum, manuumque motu, accubatione, aliisque ornamentis ad corporis actiones, honeste, & decore regendas. Non enim idem animi motus in perturbatione, qui in quiete servatur, non idem vultus, iidem & oculi; sic etiam non idem sermo adhibetur in seriis, qui in jocosis, neque quæ habentur in convivio, conveniunt in senatu: hinc recte a scriptoribus Philippus Rex Macedonum carpitur, quod a risu inter seria non temperaret, & dicacior esset, verborumque satis intemperans; quod nec Regi convenit, ut Seneca (*a*) tradit, nec Regiæ Majestatis est. Prætereaque ipsa offenditur modestia, & verecundia, quæ, cum naturam imitetur, ab omni quod nostros coinquinat oculos (*b*), vel aures perturbat, & offendit fugiendum esse jubet, docetque, ne quid nimis effeminatum sit aut molle, ne quid nimis durum, aut rusticum: corporis enim mollem cultum, & effeminatum natura ipsa fastidit, & sthomacatur, durus, & ru-

(a) *de clem. lib.* 1.

(b) *Cic.* 1. *de offic. cap.* 41.

rusticus exasperat: & hæc moderate splendent, & quam bene in nostro Carolo prælucent; quæ enim illi dignitas, quæ comitas, quæ venustas in vultu est? quod demum, ut paucis omnia complectar, in totius corporis incessu Majestatis decus? quæ ejus vestimenta, quæ ornamenta, quæ pompa; hæc illam regalem munditiam, & methodum habent, quæ a regio est adhibenda Principe; ita temperata tamen, ut aliorum pateat exemplo, quomodo fastus deprimatur, rerum omnium exitium.

Hac temperantia mimos ab ejus aula delevit, atque adulatores pessimum genus hominum, a quibus quamplura vitia in rempublicam irruunt. Primorum scurrilitas, cum plerumque neque verecundiæ, neque honestatis, modestiæque fines servet, rempublicam coinquinat, & principis mores dedecorat; ideoque a Lacedæmoniis expulsi fuere, & a Romanis tanquam otiosi, & inhonesti habebantur. Alterorum adulatio, cum ad voluptatem sui omnia fingat, nihil ad veritatem loquatur, multorum damnorum origo est, & caput, & aliquando tantæ temeritatis est, ut principum facta vendat, & munera; ut de adulatore illo legimus, qui Alexandri Severi vendiderat beneficia, quo factum

eſt, ut fumi ſoffocatione illum Alexander perdiderit. Hinc Romani cum ſcirent exteras nationes, barbaroſque reges multum adulatione uti, legem tulere, qua prohibebantur Romam ingredi abſque ſenatus licentia: & Græcia has hominum ſpecies mortis ſupplicio delevit, quamquam labentibus annis in id vitii ipſamet inciderit.

Hæc ſunt CAROLI principaliores animi virtutes, ſed quoniam, quæ in alios diviſim in Principem noſtrum collecta fluunt, pauca de ejus magnanimitate, liberalitate, beneficentia, munificentiaque ſcribamus; quæ ex principalioribus iis tanquam rivuli a fonte dimanant. Et ſane nihil magnanimitate regi proprium magis, nihil liberalitate, cum utraq; ex magno procedat animo juſtitiam principaliter reſpicienti, ac fortitudinem; quo fit ut nunquam commoveatur magnanimus, & idem ſemper perſeveret tum in proſperis, tum in adverſis *(a)*. Eadem quippe ei eſt ſemper frons, idem inceſſus, eadem vox, & moderatio; & cum omne quod agit in factis poſitum non in ſui gloria judicat, in honoribus aſſequendis non angitur, neque contendit; eos enim mereri, quam aſſequi mault, Serrani, Cincinnatique

(a) *Ariſt. 4. eth. cap. 3.*

que exemplo, quorum egregiæ virtuti delati ſunt ſponte ſua conſulatus, & dictatura inter agriculturæ, aratrique labores. Principaliores vero magnanimitatis effectus ſunt honores largiri, reis ignoſcere, hoſtem humaniter habere, illaque exercere, quæ & cum clementia conveniunt; quæ omnia, quam omni ex parte abſoluta ſint, & in Rege noſtro reſpondeant; jam ſupra ſcripſimus: at primum, præcipuumque magnanimitatis officium eſt, divitiarum contemptus, unde liberalitatis virtus deſcendit, qua pecuniarum cupiditatem deſpicimus, eaſque ad beneficentiam populorum conferimus; quod uti honeſtum, magnificumque eſt in privato homine, multo magis in principe eſt.

Et quamquam omnis virtus, omnes alliciat ad ſe, faciatque amatores ſui, id tamen præ ceteris efficit liberalitas: hac populos ſibi rex copulat, amanteſque ſui reddit, & quodammodo domeſticos facit, ac familiares; proptereaque illa adhibenda eſt abſque ulla remunerationis ſpe, ſive fœneratione (*a*), ſecus enim uti vanitati conjungeretur, ita adverſaretur honeſtati. Hanc vero Rex noſter oſtendit plenius in illa

(a) *Ariſt. eth. lib. 4. cap. 1.*

illa pecuniarum in populos ejectione in ipso Urbis ingressu, ut tradidimus, & cum debitam pecuniarum copiam, ut primum Regni possessionem cœpit, ei oblatam majorum more, recusavit, renuitque; quam mirum in modum probavit nuperrime, cum cunctis Regni hujus populis debitam Regali Fisco tributorum solutionem remiserit, & largitus sit liberaliter.

Præterea promptiores redduntur subditi ad ea, quæ ex benefica remittentis principis voluntate acceperunt, ampliori super sortem accessione reddenda. Ita expertus est Persarum Rex Cyrus immerito a Crœso reprehensus de nimia liberalitate in subditos, cum, efflagitatis illis de quadam pecuniarum summa, promptiores ad duplicandam enumerationem invenit. Et Alexander cum de paupertate a Dario arguebatur, in suorum militum animis, liberalitate sua, respondit, suos deposuisse thesauros, quos ipse Darius aænea suos, potentiorique servabat custodia: quod quantum profuerit ad victoriam expertus est postmodum debellatione sui, cognovitque exemplo potius, quam verbo, quod Alexander etiam Perdichæ respondere consueverat: Non pecuniæ scilicet, sed gloriæ cupiditate se bello Orbem petere, & beneficiis de aliorum ani-

mis

mis triumphando, illosque amoris vinculis obstringendo facilius omnia assequi; quod experimur in diem: ideoq; penes omnes probatum est, beneficia iterari sæpius debere, ne inveterescant, & oblivione obliterentur, & cum iis illorum abalienentur animi, quos beneficiis devinximus antea.

Utamur autem hac virtute, modo quodam ne in prodigam effusionem degeneret, ut fuit illa ejusdem Alexandri nimia liberalitas, militi cuidam civitatem largiendo, cum aliquam petierat mercedem; nec militi de tanto munere admiranti responso dato, parum scilicet esse Alexandro donanti, immoderatam superbi animi sui cohonestavit prodigitatem, liberalitatis honestique fines exsuperantem quam maxime; quamobrem merito uti vesanus a Seneca (a) reprehenditur: Nec desunt prodigorum hominum exempla, qui regna largitionibus immodicis absumpsere, & rempublicam, ut de Menomacho (b), qui, largitionibus perpetuis exhausto ærario, tributa populis imposuit; cujus largitionis species populos perimit non sublevat, & ad vitia inclinat, ut de Misub-

(a) *de benef. lib. 2. cap. 16.* | (b) *Zonar. vol. 3.*

chaele Imperatore (*a*), Caligola (*b*), Nerone (*c*), aliisque narratur, qui intemperatissimi opima reipublicæ depopulati sunt prorsus, & ad calumnias, & rapinas animum convertere: At uti a prodigitate abstinendum, ita e contra avaritia est fugienda, quam inepte tenuit Antigonus Alexandri successor, cum cuidam e Cinicorum rabida, & miserrima schola philosopho talentum, aureos scilicet sexcentum petenti, respondit multum esse pro Cinico, & abiit: quo responso cùm crederet Cinicus petitionem temperandam esse, duos tantum deinde petiit ab eo denarios, quas sordido magis responso, parum esse pro rege, avarissimus rex denegavit. Geometricam ergo æquitatem liberalitas habet, hæc autem servanda cum in munerum collatione animum convertamus, & nostra largiamur, mediam tenendo semitam, ne definitum modum transgrediendo a recto tramite declinemus: quod sane in omnibus servandum est virtutibus, cum totam morum disciplinam, hoc unum complectatur præceptum; Ne quid nimis.

Et hunc sane modum, hanc proportionem

(a) *Joan. Eutrop.*
(b) *Svet. in Calig. cap.* 37. & 38.
(c) *Id. Svet. in Ner. cap.* 30. & *seqq.*

nem teſtatur illa mercedum diſtributio, quas ſuis militibus CAROLUS noſter largitus eſt, & conſiliariis, Sancti Stephani Comiti, Charnio Duci, Montis Allegri Marchioni, aliiſque ſervata in omnibus perſonarum dignitate, & merentium fortuna; quæ duo ipſa etiam beneficentia principaliter reſpicit, cum inter privatos per meritorum gradus adhibeat largitiones. Recte ergo reprehenditur Philippus qui Thraſidæum (*a*) adulatorem ad tyrannidis faſtigium erexit, immemor quod indigno beneficia non dantur; quæ cito ultroque ſunt conferenda, ne cum diu inter manus dantis hæſerint ægre, & ab invito extorta eſſe videantur; eiſque tantum gratiæ adimatur, quantum longioris moræ interceſſit; eoque fortius ſi preces adhibitæ fuerint, quæ beneficia corrumpunt, & benignitatis memoriam deprimunt, quod gratiæ non gratis acceptæ dicantur; qua de re ſcripſit Seneca (*b*) nihil in beneficio dando magis cavendum, quam in longum trahere, cum liberalis indolis ſit argumentum hilari animo dare, cito, atque libenter.

Ad hanc etiam beneficentiam, & liberalita-

 tem,

(a) *Macrob. Saturn. lib. 2. cap. 7.*
(b) *de benef. lib. 2. cap. 5. & 6.*

tem, uti ſpectat captivos ab hoſtibus redimere, pueros educari facere, ſive puellas collocare, ſimileſque indigentiores locupletari, aliaque quibus benemerendi voluntatem facultatum, atque munerum largitione exercemus; ita quoque omnium judicio, & comuni plauſu ſpectanda eſt, atq; laudanda illa puellarum collocatio, quæ nuperrime ex quorumdam mulctis a noſtro Rege peracta eſt, Alexandri exemplo, qui Perilli filiabus quinquaginta talenta in dotem juſſit dari. Adjunge his præclarum illud munifici animi argumentum, quod Averſæ civibus præbuit, quorum ab æquitatu devaſtatos agros, proprio ære reficiendos eſſe mandavit: Hinc in publica illa de ſui adventu lætitia, qua Civitas hæc noſtra Fideliſſima exultavit, meritò Cajetanus noſter omni laude digniſſimus, morum virtutumque probitate, ſcientiarumque notione præclariſſimus inter emplemata ſua, agrimenſores damna exiſtimantes pinxit, ſcripſitque; Martis damna rependit munificentia Principis: quam etiam munificentiſſime expertus eſt poſtmodum idem Cajetanus, cum Regalis Cameræ Sanctæ Claræ, & Eccleſiaſticarum in præſenti Rerum a Secretis libellorum præpoſitus, Juriſdictioniſque late, pro meritiſque refulgeat: & cum tanti muneris dignitatem abſolutiſſime

adim-

adimpleat ſubſtineatque condignius, quam de illo præcinerat fama virtutem in apertum præbet; ac loquelæ comitate, affabilitate perſonæ, oriſque elegantia ut nihil Viro, ſic nihil tanto muneri deeſſe videtur: ſed ad magnificentiam gradum faciamus, quæ eſt altera magnanimitatis pars de liberalitate quamplurimum attingens.

Et quamquam ad principis magnificentiam civitati epulum dare, publice ludos facere, venationes, ſpectacula, atq; his affinia exhibere Ariſtotiles ad Nicomachum (*a*) reducat, ejus tamen ſententia, intra ſuos eſt coercenda limites, ne illius magnificentiæ ſpecies ad prodigitatem inclinent; ideoque honeſtis de cauſis, & rarius habendæ ſunt. Verum tamen eſt, is revera magnificus princeps videri, atque exiſtimari, qui opus quoddam magnificum inſtruit, ad ſui animi magnitudinem declarandam, & ad populorum utilitatem; honeſtumque animi ſui, operiſque decorum reſpicit (*b*). Indignum quidem Alexandro quòd mauſoleum Bucephalo ſuo erexerit, atque civitas ex ejuſdem nomine fuerit appellata; indignius Cimone quod prope ſuum ſepulchrum, mulabus ſuis tumulum decreverit: dedecet enim bruta animalia eiſdem honoribus,

 qui-

(a) *in ethic. lib. 4. cap. 2.* | (b) *Ariſt. 4. eth. cap. 2.*

quibus homines cumulare, ficuti etiam turpe eft iifdem obfequiis mortales homines, quibus Immortale colitur Numen venerari: hinc templum, quod triumphi loco erigendum Senatus fuo nomini putabat, Tiberius fapienter refpuit. Contra vero magnificum fuit, viam illam conftructam fuiffe militarem ab Appio Claudio, ut facilius Roma Brundufium ducerentur milites: Magnificum a Claudio Imperatore collocatos fuiffe aqueductus, ut ad populi utilitatem per cuniculos derivata in apertum prodiret animi magnitudo. His vero magnificæ magis fuere utilitate fua ejufdem Romanæ Urbis cloacæ, quarum fubftructiones, ut Plinii verbis utar, omnium dictu maximæ, omnium fibi ftuporem conciliavere: fed penfilem urbem ingentiffimis cautibus fuffultam, fuffoffifque montibus fubter navigatam, aliis commendandam relinquimus, ne videamur præter jufti methodum fatis, fuperque commemorare, quod fuo tantum nomine coinquinat, & non eleganti fœdat odore.

Hanc magnificentiæ formam, opus illud publicorum gymnafiorum non mediocri fumptu a Carolo noftro reftitutum fervat, five honeftatem rei, five utilitatem populorum, five Regalis Animi fublimitatem perpendas: in quo me-

meliori jure nostri Regis nomen inscribendum est, quam quòd illud Agrippæ in Pantheon inscriptum fuit, in quo Juppiter, & Nepturus, Mars, & Apollo colebantur, aliaq; antiquæ ætatis mendacia numina: In nostro gymnasio ad veri Dei cultum, veræque Religionis cognitionem, præcipue exercentur ingenia. Quid hoc utilius, quid honestius, & magnificentius; cum præcipua in qualibet republica, & dominatu sit cognitio veri Dei, ut pietate, et sanctitate Religio a superstitione discernatur, cum Deus primum sit rerum agendarum principium, & ultimus finis, quo mores aluntur, & actiones humanæ sanctius reguntur; ideoque singularis a principe cura est intendenda, ut præceptores optimi seligantur, qui valeant, pueros erudire ad veram Dei cognitionem (*a*), quæ in posterum erit fidissima actionum regula, a qua si quis unquam deflexerit, a bonorum omnium fonte aberrabit: Quapropter rectissime Theodorus, & Valens (*b*) statuere, quemcumque ludimagistrum debere testimonium reddere coram ipsis principibus de morum probita-

(a) *S. Thom. de regim. princ. lib.* 1. *cap.* 13. *Arist.* 7. *polit. cap.* 17. *& lib.* 8. *cap.* 1. *& in ethic. cap.* 9. *lib.* 10.
(b) *l. unic. Cod. de stud. liber. lib.* 11.

bitate , ſufficientia , ac doctrinæ ſinceritate , prævio examine a viris doctiſſimis , & ſanctiſſimis excipiendo , antequam ad ſcholas aperiendas, ſcientiaſq; docendas admitterentur : quod obſervatum videmus in hac noſtra Civitate, tam quoad ludimagiſtros , qui ad pueros addiſcendos dantur, quorum examen ad noſtrum Antiſtitem pertinet, quam quoad alios juvenum provectioris ætatis anteceſſores , qui prævio publico examine ad inſtruendum , docendumque gradum faciunt ; quibus nunc capita illa duo doctiſſima, ac ſanctiſſima præſunt , ludimagiſtris ſcilicet Præſulis noſtri Vicarius Cioffus , anteceſſoribus vero, & ſophiſtis vir ille Galianus Regalis Aræ Antiſtes ; quorum primus , & dulcedine morum & ſanctitate illuſtris , illuſtrior alter probitate, & doctrina , qua inter Italiæ bonarum artium eruditos homines jure accenſetur , & clariſſime ſplendet.

Ex his ingens reipublicæ utilitas, nec parva erunt commoda, cum a litteratis viris conſiliarii deſcendant optimi , & ad juſtitiæ adminiſtrationem , cæteraque optime gerenda aptiſſimi , ex quo fit ut ſplendidior ipſa evadat reſpublica ; præterquamquod doctrina animi feritatem deponunt, & rudem barbariem, moribuſ-

busque induuntur bonis ; ideoque doctissimi seligendi sunt professores, nam uti è fortibus, nascuntur fortes, ita e litteratis, literati procedunt.

Et scientiis quidem populi Neapolitani ingenia o quam bene conveniunt, quorum placida instituta ad scientias promptiora sunt, & virtutes, ut usq; adhuc experti sumus a prima nostræ Urbis origine; hinc nostris nepotibus hæc nova lycea non parvæ utilitatis, & eruditionis perennem fontem aperiunt; quibus ad suos cives bonis artibus, atque præceptis imbuendos restitutis, atque erectis, nec Athenis Academiam, nec Spartæ palestram, nec Cretæ theatrum, nec quodvis magnificum opus Romæ nostra invidebit Neapolis: Quod etsi CAROLO primum, tamen inclyto viro Tanucio tantæ rei promotore præcipue debemus, eique omnis tribuendus est honor, & laus; qui a justitiæ libellis gratiarumque, sua animi integritate, variaq; eruditione præpositus, sermonis comitate, virtutum morumque singulari præclaritate clarissimus, jamdudum acceperat, lycea hæc omnino promovenda, ut ad futuram justitiæ administrationem, uti homines darentur docti, ita quoque recti essent, & integerrimi; qua deliberatio-

tione cum nihil homine dignius probasset, præstantius ac nobilius, quam literæ & sapientia, rerum divinarum scilicet, humanarumque scientia, non modo plenissimam, integerrimamque tanti viri justitiam experimur, verum etiam & pervulgatam toto orbe præstantissimam mirati sumus sapientiam; quin ad rempublicam optime gerendam cum jurisconsultis doctis, integerrimisque opus esse animadverteret, sapientissimisque viris, quorum consilio justitiam Rex ministraret, & gratias impartiretur & munera, illum cum meretissimum Gratiarum a Secretis, Justitiæque agnovimus, omniumque jurisconsultissimum, quod Pisis doctissimis libris suis probaverat, tum etiam præclarum mentis suæ animum omnem in nostrorum felicitatem augendam, Regisque sui principatum ostendit: ideoque siqua magnificentia siqua liberalitas, Regi nostro est laude digna, hæc quidem dignissima est, quæ, tanto viro promovente, versatur in amplitudine ædium humanis literis dicatarum, sacrisque rebus, ac divinis, ut Aristotiles (*a*) ipse demonstrat.

Et ad Regis magnificentiam reducendus, quodamodo est ille speciosus venaticus recessus mon-

(a) *etb. lib.* 4. *cap.* 2.

montis Clivo superimpositus; nec minori dignum laude magnum Theatrum illud nuperrime erectum, si expensas, quæ ad illorum custodiam, & ludorum exercitationem erogantur in civium, populique utilitatem convertas: quamvis enim hæc ad voluptatem sint instituta, & pro quadam laborum, curarumque levamine, majoris tamen honestatis sunt, quam amphiteatra, circus, & similia, in quibus sæpe sæpius humana deplorabatur conditio, cum inter se pugnabant animalium, bestiarumque loco, & dilaniabatur homines miserrime. Et in his peragendis, quod mirum, nullum Rex noster a subditis mutuatus est subsidium, sed omnia suis sumptibus explevit; in quo peccavit Justinianus, qui etsi immortalem laudem ob ædificiorum constructiones meruisset, de quibus adhuc extant Procopii volumina, tamen omnia peregit ingenti urbium, & civium impensa; qua non tantum eis, bona quæ habebant ademit, (a) sed quod pejoris conditionis fuit, & nefas, sublata liberalium artium magistris solita mercede ultimum excidium reipublicæ attulit; nam in perditionem litteræ abiere, & barbaries rusticitasq; omnes occupaverunt civitates (b); quod

Q nec

(a) *Paul.Diac.in ej.vit.* | (b) *Zonar.vol.* 3.

nec Athalaricus Rex Barbarus fecit; qui Senatum dare operam jussit, ut doctoribus integra solverentur stipendia, neque professoribus, antecessoribusque subtraheretur quidquam, ut Cassiodorus refert (a).

De cæteris ejus virtutibus, de benevolentia scilicet, mansuetudine, verecundia, & misericordia, aliisque, cum ex supra memoratis, & ab illa in Carceratorum levamenta pecuniæ distributione, e prænominatis quorumdam mulctis peracta, late pateant, libenter silentium agimus; at silenda non est illa, populorum cultrix, ac perpetua pax, annona, & divitiarum opulentia, quæ suo adventu in utroque Regno ita excrevit, ut omnibus esset admirationi. Et quidem cum inter bellorum calamitates Annona deficere, vel cariori saltem pretio deberet venundari, mitiori illam accepimus, meliorem, & abundantius; quod si Minuccio Augurino (*b*) extra portam Tergeminam, Trebio eadem de causa in Palatio, & Capitolio dicatæ sunt statuæ, quod trinis nundinis farris pretium ad assem redigissent, majores erigendæ sunt CAROLO, qui sua vigilantia Trajani, (*c*) Per-

(a) *lib.* 9.
(b) *Plin. lib.* 18. *cap.* 3.
(c) *Plin. in paneg.*

Pertinacis (a), aliorumque Imperatorum instar, annona in tanta rerum calamitate, ne deficeret curavit, caritatemque avertit: Quod uti in hoc Regno industria consecutum est Brunassi pro populo hujus Urbis administrationem tertio, vigilantiusque adimplentis, ita quoque opera Gratiæ Regalis Marchionis, pro nostro CAROLO vices Panormi, ac partes condignius implentis, servatum esse in Regno Siciliæ accepimus; & ita sibi populorum confirmarunt animos, & CAROLO nostro benevolam servarunt rempublicam.

Et patet divitiarum omnium copia, cum artes omnes, quæ veluti principaliores in republica, ut exerceantur specialiori semper curæ sunt principi, mirum in modum excrescere videmus, & undique desudare pro tot novis militiis vestiendis, & armandis, arcibus reficiendis, ædificiisque extruendis, aliisque pro quibus immanes propemodum suo ære peregit expensas; & ad majorem opulentiam nostratibus Siculæ pecuniæ æquato pondere, Sicilia, Neapolisque novitate rei plaudunt, & hoc novo commento, si ita dicere fas sit, quas olim terræmotus disjunxit, ut ferunt, inter se col-

(a) *Capitol. in ejus vit.*

ligavit Italiæ partes , & suæ Monarchiæ : Siciliam enim , & Neapolim ita in fœdera junxit , ut nullo unquam futuro tempore dissentire videantur ; quod faciendum curavit , ut integre adimpleret illud principio appositum Platonis præceptum , rempublicam scilicet in omni sui parte tuendam esse , atque curandam ; in quo ita propriorum commodorum est oblitus , ut omnis ejus cura , animusque in subditis servandis , sublevandisque fuerit .

Ingens ex his , ac præcipuus sibi populorum ortus est amor , rerum omnium , & principatus conservator , munimen , atque præsidium ; nil enim aptius ad opes tuendas , & rempublicam, quam diligi, nil alienum, quam metui ; expertusque est Cæsar, ut primum populum Romanum in tyrandidem habere cœpit, qua odium sibi conciliavit , & interitum est molitus ; neque melior aliorum tyrannorum fortuna fuit , & exitus, ut de Phalare Agrigentino a suis oppresso , aliisque legimus . Nec tantum misere moriuntur qui metui potius , quam amari diligunt , sed miserabilius vivunt continuo propinatæ, quam merent, mortis terrore , ut de Alexandro Phareo scriptum est , Dionysioque minori Syracusarum tyranno ; quorum

rum primus ad uxorem Thebam accedebat præmiſſo barbaro gladio diſtricto, ac ſtipatoribus ejus arculas perſcrutantibus, ne quod telum in eis occultaretur; o miſerum, & inſanum rectius de eo clamat hic Cicero (*a*), qui fideliores putabat barbarum, & ſtigmaticum hominem, ſtipatoreſque impios, quam conjugem: alter in ſuorum diffidentiam eo venerat, ut barbam, capilloſque igne admoto tonderet, tonſorias pertimeſcens novaculas; adeo verum eſt, ut idem notat Cicero, ut qui ſe metui volunt, eoſdem a quibus metuuntur, metuant ipſi neceſſe eſt.

Quam contra nanciſcuntur felicitatem, qui ut amentur incumbunt, quam animi quietem, & pacem, probant Octavii Augusti tempora, Trajanique omni perturbatione carentia, ut cæterorum relinquamus exempla; integram reipublicæ tranquillitatem, verum ſubditorum, & populi amorem ita nacti ſunt principes iſti, ut eorum Imperii tempora ab Annalibus denominarentur felicia, ac fauſtiora prædicarentur, & in poſteras ſeculorum ætates deſiderentur magis, quam teneantur: quod non aliter quam benevolentia, & populorum dilectione aſſecuti ſunt.

Et

(a) *de offic. lib. 2. cap. 5.*

Et idem Romanum imperium expertum est quousque exteros beneficiis pellexit, bella pro sociis gessit, intemeratum regibus asylum collocavit, & in abruptis populorum omnium fortunæ procellis, intra suos fines portum aperuit; quod ut primum deleri, atque obliterari permissum, continuo introire Imperii calamitates, vidit, suorum inter se, exterorumque odia exurgere, ut amissum sævitia, & deperditum invidia videretur Imperium. Et hic sane amor, qui fidei pater est atque perpetuitatis, majorem in modum excrescet in nostrum Regem, cum illud apud Indos, quod per ora omnium volitat, aperietur commercium; quæ tunc affluent divitiæ? quid pretiosum non huc adveniet? cum novo instituto, nova placebit experiri, & maxima opulentia aucto Regno, quam maxime in Regem noster augebitur amor.

Ex his quæ nostra felicitas, quantaque sit perpendes, nam ex illa a seculis deperdita in Regno nova militiæ institutione, quot familiæ nobilitantur, & substentantur in diem; quanta ex illa Tribunalium meliori consonantia orta est litigantium quies, populorumque concordia; quæ ex illa gymnasiorum ad pristinam formam reductione scientiæ, & virtutes florebunt, quibus

bus filii , nepotesque implebuntur magis , atque splendescent ; quæ tandem felicitas ex illa rerum copia , & affluentia , cæterarumque rerum opulentia ; quam præceteris innuit felix auspicium illud in numismate novo adjectum, quo nostra felicitas ostenditur , cum de socio princeps populus efficiemur. Quæ quidem quanta futura sit pollicetur aeris illa temperies, qua potiti sumus , statim ac ad has nostri Regni regiones suum Rex dispofuit iter , quave ad nos appulit ; at vel ipsa clementis aeris serenitate clarius indicavit , si stellis credendum est , magnum Sydus illud , in superiori parte aeris extraordinem natum , Occidentem versus , quod , ut nos ipsi vidimus , in illius adventu huc usque comitatum est Regem, ejusque fortunam . Decebat enim Catholicum Principem ad Catholicum cum pergeret Regnum Stella quadam duce comitari, illudque invisere, qua nos quam chari Deo , quam charior ipse Princeps ostenderetur ; quod in fine præteriti anni (*a*) confirmatum extitit , cum noctu ingens Cœli plaga Septentrionem versus inardescere visa sit , dum nuptiæ constituabantur inter Regem nostrum , & Augustam AMALIAM Sa-

(a) *sub die* 16. *Decembris* 1737. *noct. seq.*

Saxonem, Augustissimi Poloni Regis Filiam; qua rerum novitate, novoque portento, quam Deo dilectum Conjugium, charioresq; essent Sponsi, Cœlum ipsud nos monuit, tantorumque Regum felicitatem, futuramque generosiorem Prolem, augustam ac perpetuam, faustamque præludit: quod dum speramus, & plenissimo optamus animo, enixe expetendum est, atque precandum, ut Deus ipse tanti Regis Monarchiæ fines æternet, atque extendet ad justæ, veræque Monarchiæ limites, illosque æqua libret lance, ne tenuitate virium obruantur ab aliis, vel magnitudine premantur, aut pondere ruant suo; Scipionis Æmiliani Censoris exemplo, qui falsis sui ævi Diis preces dandas esse credidit, non pro Romæ incremento, sed pro illius conservatione. Quidquid enim ad summum pervenit ad exitium properat, ut ait Seneca (*a*), & ubi progrediendi locus non est, regrediendi tantum superest spatium; ita & reipublicæ corpus quodvis ingens, & immensum, cum ad summum pervenerit, non omni ex parte conservatur opinionibus, affectionibusque civium, & ut dilanietur oportet, moleque sua corruat, & marcescat, ut de Persarum imperio, aliisque habetur

(a) *in consul. ad Marc. cap.* 23.

betur : qua ratione Publicus Nasica Carthaginem non esse delendam putabat, non tantum quòd deletis, ac perditis invidæ Carthaginis æmulis Romana virtus fortitudinis cotem amitteret, sed præcipue quòd illius populi novo incremento, novaque gentium accessione ingentissime aucta Roma corrueret. Hinc Græciæ exemplo eadem Roma illas suas destinaverat Colonias, ut in his quæ superflua essent, & ponderosa, inutilesque cives deponeret; unde illud in principatibus ortum est axioma; cupiditati habendi frenum esse injiciendum.

Hæc sunt, ornatissime Theophile, Regis facinora, quæ si cum brevitate lectionis conferas parva quidem sunt, & levia, atque ad nostri ingenii parvitatem comparata; at si cum re ipsa componantur magna sunt, neque spernenda, cum ex his summum Regis bonum in recta Sui administratione, suique Principatus habes, nostramque veram felicitatem, ut jam principio prioris libri pollicebamur; quæ Dei Optimi Maximi rerum omnium summum arbitrium ostendunt, & præceteris ipsius Regis virtutes, quæ bonos in meliùs informant, Veri Dei veram augent Religionem, & in Regem subditorum fidem confirmant, & obsequium; pro cujus so-

ſpitate , AMALIÆQUE ſuæ , ac futuræ Prolis incolumitate & felicitate , Regnique ſui , ac noſtrum implorandum ſupereſt ; quod cum unanimiter jam eſſe felices confiteamur omnes , inſtanter inſtantius peragendum eſt , & omnia hæc , ut perpetua fiant addendum ; quod uti Seneca (*a*) Principi ſuo optabat , ita nos , & meliùs CAROLO noſtro deprecamur .

(a) *de clemen. ex cap.* 1.

FINIS